





(Schoepflin) Oberlin

MUSEUM SCHOEPFLINI

TOMUS PRIOR

LAPIDES MARMORA VASA



SUMTIBUS AUCTORIS.

ARGENTORATI.
Ex Prelo JONÆ LORENZII, Typographi.
MDCCLXXIII.

PERMISSU SUPERIORUM.

REGIAE

INSCRIPTIONUM

ET


ELEGANTIORUM

LITTERARUM

ACADEMIAE

JER. JAC. OBERLINUS

D. S. D. L. L. M.



L. B. S.

Dimidiam muſei noſtri partem *lapides*, *marmora*, *vaſa* conſtituunt, quorum iſtos ante hoc triennium, illa ſuperiori anno expoſui, haec modo adjeci, frequentibus tabulis ſtipata. Alteram partem, eamque potiorem, *lares*, *nummos*, *gemmas* complexam, quam primum per familiaris rei rationem licebit, ſubjungam. Prodibit tum iſta ſimul & una opera & paullo majorem tabularum copiam comitem habebit.

Eo gratiorem autem qualemcunque hunc meum laborem multis confido fore, quo ma-

jor eſt eruditorum ex omni ordine virorum numerus, qui oculis theſaurum noſtrum antehac uſurpavere, quoque major eſt *Viri doctiſſimi* CHRISTOPH. WILH. KOCHII, P. P. cui ejus, in novam ſtabilemque ſedem nuper translati, cuſtodia eſt concredita, in omnes eos, qui ſpectatum accedunt, humanitas.

Caeterum, otio ne indulgeam, ad perpoliendam *Litteratam Alſatiam*, quam in lucem edendam ante hoc decennium mihi demandavit SCHOEPFLINUS, me nunc totum convertam. Apparatum, ab *Optimo Viro* jam tum in manus mihi traditum, ex tabulariis patriis per hoc ſpatium inſignem in modum auxi, multa etiam ſollicita amicorum cura ſuggeſſit. Hos, cives exteroſque, ea qua quemque par eſt reverentia, obſecro, ut, ſicubi quippiam, quod ad hoc conſilium meum ſpectare queat, in manus ipſorum oculoſve inciderit, invidere mihi nolint. Dab. Argentinae Id. Mart. A. R. S. MDCCLXXIII.

SERIES ICONUM

LAPIDARII

T. I. Ara *Dianae*. cf. p. 7.
Anaglypha *Deironae*. *Cybeles*. *Palladis*. cf. p. 15. 19. 20.

T. II. Eques captivum pone ſe trahens. cf. p. 22.
T. FLAVII PEREGRINI epitaphium. cf. p. 30.
Lapis votivus, in quo GETAE nomen eraſum. cf. p. 34.
Fragmentum epitaphii. cf. p. 39.

T. III. WALTHERI *Ep. Arg.* ſtatua. cf. p. 43.
JOH. MENTELINI Typographi monumentum. cf. p. 48.

MARMORARII

p. 51. Nummus SCHOEPFLINI memoriae ſacratus.

T. IV. *Herculis* forſan & *Hylae* capita. cf. p. 55.
Philoſophi, forſan SEXTI EMPIRICI, protome. cf. p. 57.
Duae picturae ex thermis TITI cf. p. 63.

T. V. Muſivum ex villa Tiburtina. cf. p. 61.
Alia muſiva. cf. p. 59-63.
Aedificii imago, opere argillaceo expreſſa. cf. p. 66.

p. 71. P. TITII FINITI epitaphium.

p. 72-89. Epitaphia varia.

p. 91. In tabella initiali, musivum, de quo p. 59. crateres. p. 101. 103. sistrum, p. 119. matrices monetales. p. 130. tubi e balneo. ib.

T. VI. Vasa Etrusca vel Campana. cf. p. 95.

T. VII. Vasa Romana fictilia. cf. p. 99. v. & p. 102.

T. VIII. Vasa vitrea. cf. p. 104. v. & p. 106.

In his & calix martyrii, de quo p. 138.

T. IX. Sigilla operis doliaris & Legionum. cf. p. 108.

T. X. Urnae & ollae ferales. cf. p. 112.

Signati lateres sepulcr. ARBOGASTI Ep. cf. p. 149.

T. XI. XII. Lucernae domesticae & sepulcrales. cf. p. 120. 115.

T. XIII - XV. Supellectilia ex aere & marmore. cf. p. 119 - 136.

Arma. cf. p. 136.

T. XVI. Thesaurus sepulcralis Merovingicus, cf. p. 141.

T. XVII. Kalendarium Runicum. cf. p. 155.

Tangutani Codicis folium. cf. p. 178.

MUSEUM
SCHOEPFLINI

RECENSET

JER. JAC. OBERLIN

AA. LL. M.

I. LAPIDARIUM




ARGENTORATI

Ex Prelo JONAE LORENZII, Typographi.
MDCCLXX.

PERMISSU SUPERIORUM.



MUSEUM SCHOEPFLINIANUM



PARS PRIMA
LAPIDARIUM



SCHOEPFLINIANUM MUSEUM, quo non eſt ullum his in oris celebrius, nec praeſtantiſſimis monumentis abundantius, inter primaria hujus civitatis decora ſi reponam, neminem profecto contradicentem me habiturum confido. Quantum enim viſa & oculis uſurpata omnis aevi diverſiſſimarumque gentium monumenta in addiſcendis populorum fatis, intelligendis veterum auctorum ſcriptis juvent, apud omnes eſt in confeſſo.

Mihi certe, qui & noſtrates juvenes, elegantiorum litterarum amantes, & advenas, harum rerum cupidos, ſaepenumero in iſtud auguſtum Antiquitatis ſacrarium deduco, de eximio, quem inde capere licet, fructu neutiquam dubitare fas eſt. Interim, tota ſi Muſei ratio ſuccincte deſcripta ſpectatorum in manibus eſſet, multo id magis jucundum & utile fore dudum perſpexi. Proinde, ſi per venerandum, quem vegetis valere viribus laetamur, ſenem liceret, ejus rei exſequendae conſilium cepi; quumque id cum Viro Ampliſſimo communicaſſem, ipſe pro ſua humanitate eximia maturandæ rei ſuaſor auctorque extitit.

Ceterum partem aliquam jam ipſe in *Alſatiae Illuſtratae* illuſtri opere deſcriptam dederat, quam nunc noſtram facere, iiſque, quae hoc viginti fere annorum ſpatio acceſſere, adjectis ſupplere paramus.

Et in illis quidem, ex *Alſatia Illuſtrata* repetendis, verſabimur ita, ut quo tempore quodque monumentum repertum & huc adductum ſit, cujus id beneficio factum, quamnam ſingula menſuram habeant, adjiciamus. In ipſa etiam expoſitione verba ex laudato opere mutuo accepta à noſtris ſtudioſe diſtinguemus.

Ordinem quod attinet, poſſet is totus monumentorum theſaurus vario modo diſpeſci. Adſunt antiquiſſima Ægypti, Graeciae, Romæ monumenta, Deorum arae, milliares columnae, anaglypha votiva, inſcripti lapides, litterata marmora, nummi, gemmae, gemmarumque ectypa, vaſa, ſupellectilia; adſunt alia ex medio aevo reſidua; adſunt & nonnulla recentia.

Interim, quum eorum etiam in uſum, qui ad luſtrandum Muſeum accedunt, hanc in nos ſcribendi cu-

ram

ram ſuſcipiamus, ab uſitatiori partiendi more recedere, eumque ſequi liceat, quem locus, quo ſingula ſunt repoſita, ſuppeditat.

Dabimus ergo tibi, humaniſſime Lector! Muſeum *Lapidarium*, *Marmorarium*, *Vaſarium*, *Lararium*, *Nummarium*, *Gemmarium*.

Et in *lapidarium* quidem omnium primum te deducimus, in quo plurima luſtrabis Romana, nonnulla medii aevi, ex recenti pauciſſima.

Adſunt monumenta

I. Romana

1. Arae Deorum
   Apollinis Granni Mogouni
   * Dianae
   Mercurii
   Panthea
   Pertinaci ſacrae Inſcriptio.

2. Anaglypha Deorum Votiva
   Caſtoris & Pollucis in lapide Jovi & Junoni (ſacro
   Mercurii in lapide
      litterato
      illitterato
   * Deironae
   Veneris
   * Cybeles
   * Palladis
   Silvani.

 3. Ana-

3. Anaglypha alia
Lepontii ſigniferi
* Equitis captivum trahentis
Glabronis ſervi.
4. Columnae Milliares
Trajani
Valeriani.
5. Cippus Pontium dedicatorius
6. Epitaphia
Terentiae Auguſtulae
* T. Flavii Peregrini
Sixtae , ab Aemiliano poſitum.
7. Fragmenta varia
* Lapidis votivi Antonino & Geta COSS. po- (ſiti.
Tria minoris momenti.
8. *Urna major ſive amphora.
II. Medii Aevi
1. Statuae
Rudolphi Habsburgici Imp.
* Gualtheri Epiſcopi Argent.
2. * Epitaphium Judaïcum.
III. Recentia
Joh. Mentelini Typographi monumentum
* Seb. Brandii epitaphium.

Aſteriſco notata hic primum in lucem prodeunt.

Mirabitur profecto aequus Lector, unius hominis aetate tot ac tam praeſtantia monumenta ex una regione erui , unius Viri ſtudio & ſollertia colligi potuiſſe. Quo ipſo patet, quantum induſtria, Patronorum favore civiumque benevolentia ſuffulta, in iis ſervandis valeat, quae incuria negligentis aevi poſteritati noſtrae invidiſſet.

MONU-

MONUMENTA ROMANA

ARAE DEORUM

ARA APOLLINIS GRANNI MOGOUNI

Steterat olim apud Argentouariam, hodie Horburg, ſepto vel maceriae incluſa, unde Togati Alſatiae Praeſidis *Illuſtriſſimi Viri* FEYDEAU DE BROU liberalitate huc translata eſt a. 1740. alta pedes 3. pollices 8. lata pedes 2. poll. 10½. profunda ped. 2. poll. 6. Repraeſentatur in *Alſ. Ill.* T. I. Tab. I. n. 6. Inſcriptio haec eſt:

APOLLINI. GRAN
NO MOGOVNO
ARAM
Q. LICINIVS. TRIO
D. S. D.

Apollini Granno Mogouno aram Quintus Licinius Trio de ſuo dicat.

» *Apollo Grannus Mogounus* videri poſſet *Apollo intonſus* » *Mogounus*, Deus Romanus Scoto-Britannicus. *Grannus* à *Granis* ſeu *grannis*, qui Gothis cirri vel crines » promiſſi. (*a*) Idem ergo qui Latinis *intonſus*, Graecis ἀκερσεκόμης. *Mogounus*, alias *Mounus* vel *Mogons*, » forſan à loco quodam Britanniae dictus eſt. Favent huic opinioni lapides Britannici *Apollinem* nunc » *Grannum* nunc *Mounum* & *Mogontem* ſiſtentes. (*b*)

(*a*) ISIDORUS HISPAL. Orig. L. XIX. 23.

(*b*) CAMBDENUS in Deſcript. Britanniae p. 739. & 433.

» Viris Celeberrimis aliunde utriusque cognominis » rationem accersere placuit. *Grannum* MOREAU DE » MAUTOUR (*c*) ab oppido quodam *Grano*, quod ad Mœ- » num situm fuisse putat, dictum suspicatur ; JOH. GEOR- » GIUS AB ECKHARD (*d*) & JOHANNES BIMARDUS LA » BASTIE (*e*) ab *Aquisgrano* (*f*) ; HAGENBUCHIUS (*g*) apud Turicenses olim Professor publicus vel à *granis* s. *granariis* vel à קרן *radius*, quasi *Radiatum Apollinem* diceres, nuncupatum arbitrabatur. Forsan rem acu tetigisse aliis videretur, qui *Grannum Apollinem* eundem cum *Apolline Carneo* PAUSANIAE (*h*) haberet, quem is à corno arbore, quae Graecis κράνεια, *Cranea* dicitur, appellatum refert, littera transposita. Quae quidem transponendæ consonae opera nobis necessaria non foret, *Grannus* à *Cranea* enim sponte sic derivaretur. Nec obstaret, quod C in G versum esset & media consona duplicata, utrumque enim obvium.

„ *Mo-*

(c) in *diario Gallico* (*Clef du Cabinet*) *Jan.* a. 1727.

(*d*) Peculiari Dissertatione, quae prodiit Wirceburgi 4. recusa in KUCHENBECKERI *Analectis Hassiacis* Collect. III. p. 220.

(*e*) in Dissertatione de *Diis quibusdam ignotis*, praesertim Gallicis, praemissa Tomo I. MURATORII *Thesauri Novi Vet. Ins.*

(*f*) Verosimilius VELSERUS in *Monum. agri Augustani*, Operum p. 406. à *Granno* Apolline Aquisgranum, quasi aquas Granni vocatum suspicatur, salubritate sic aquarum à priscis ad Apollinem medendi Deum relata. cf. & HADR. VALESIUS in *Notitia Galliarum*, pag. 27.

(*g*) v. infra, ubi de Dea *Deirona* agitur.

(*h*) *Laconic.* sive L. III. cap. 13. p. 239. en locum: Λέγεται δὲ καὶ ἄλλος „ ἐπ' αὐτῷ λόγος. ἐν τῇ Ἴδῃ τῇ Τρωϊκῇ κρανείας „ ἐν Ἀπόλλωνος ἄλσει πεφυκυίας τοὺς Ἕλ- „ ληνας ἐκτεμεῖν ἐς τοῦ ἵππου τοῦ δουρείου „ τὴν ποίησιν· μαθόντες δὲ ὀργὴν σφισιν „ ἔχειν τὸν θεὸν, θυσίαις ἱλάσκονται, καὶ „ Ἀπόλλωνα ὀνομάζουσι Κάρνειον ὑπὲρ τῶν „ κρανείων, μεταθέντες τὸ ῥῶ κατὰ δή τι „ ἀρχαῖον. Alius etiam de cognominis „ hujus (*Apollinis Carnei*) causa ser- „ mo vulgatus est: cornos à Græcis in „ Ida Trojae monte ex Apollinis luco „ ad ligneum equum fabricandum ex- „ cisas: quumque Dei numen laesum „ scirent, ad ejus iram leniendam sa-


II.




IV.



III.



I.



Hess fc.

» *Mogounum* à *Moeno* fluvio dictum vult JOH. BIMAR-
» DUS LA BASTIE; ECKHARDO *Moguntiacensis* Deus est.
» Duplicem etiam in eodem lapide Apollinem statuit
» cum ECKHARDO BIMARDUS; contra MOREAU DE MAU-
» TOUR eundem & unicum.

» *Q. Licinius Trio*, qui aram dedicavit, nullibi me-
» moratur, nisi in lapide nostro; contra *C. Licinium Trio-*
» *nem* habet APIANUS (*i*) *C. Licinium Trionem Paulinum*
» ex Sæculo III. GRUTERUS (*k*). Forsan itaque is Cajus
» Quinti nostri frater, saltem ex eadem familia & gente
„ fuit. v. *Alf. Ill.* T. I. p. 166. sq.

ARA DIANAE

Inventa quinto lapide ab urbe in Wasselnhemii vico & cura Viri Pl. R. JOH. LUDOV. EHRLEN, ibi tum, hodie ad D. Petrum sen. animarum curam agentis, huc allata a. 1759. alta est pedes 3. lata pedem 1. poll. 6. Repraesentatur Tab. nostra I. n. I. Inscriptio haec est:

DIANAE

C. LIGVRIVS

VICTOR

V. S. L. M.

Dianae Cajus Ligurius Victor votum solvit lubens merito.

In

„ cra instituisse, & ab arboris nomine „ (Κρανείαν Graeci vocant) littera R „ transposita, prisca quadam consue„ tudine Carneum Apollinem nuncu„ passe. „ CONRADUM CELTEN, laureatum Poëtam, jam ante detecta *Apollinis granni* monumenta, *Aquisgrani* nomen ab *Apolline Craneo* deduxisse, satis est mirum. Patet interim ex hoc ejus versu, ex L. III. *Amor.* Eleg. 13.

„ Vrbs ubi fumat aquis Craneo ab
„ Apolline dictis.

(*i*) *Inscriptionum* p. 390.

(*k*) pag. CCC. I.

In regione ſaltibus obſita, ad Vogeſum enim ſpe-ctat, locatam *Dianae* venationis Deae aram, nemo mirabitur. *Liguriae* gentis in nummis nulla, in lapidibus haud rara occurrit mentio (*l*), obvium etiam *Victoris* (*m*) cognomen. At *C. Ligurium Victorem* nullibi invenire datum eſt hactenus.

ARA MERCURII

Inventa in ruderibus veteris ad Lutharim caſtri, cui à S. Remigio nomen prope Weiſſenburgum, dono *Eminentiſſimi Spirenſis Epiſcopi* huc pervenit a. 1741. alta ped. 3. lata ped. 1. poll. 6. profunda pedem unum. Repraeſentatur in *Alſ. Ill.* T. I. Tab. I. n. 3. Inſcriptio ſequens :

IN H DD
DEO. MERCVR
IO. AEDEM. AR
AM. ATTIAN
VS. MAGISS. ET
MAGISSIVS. H
IBERNVS. CA.
LEG. XXII. P. P. F.

» *In honorem domus divinae*, (*n*) alias eſſet, in hono-» rem Deorum Dearum) *Deo Mecurio aedem* (&) *aram* *Attia-*

(*l*) v. GRUT. CCCLXXVI. 6. CCCCXXXI. 1.

(*m*) v. GRUT. DCCCLIII. 10. MCXV. 6.

(*n*) Similem Inſcriptionem dat GUICHENON *Hiſt. de Breſſe & de Bugey* pag. 10.

» *Attianus Magiſſius & Magiſſius Hibernus Camilla* (tribu)
» *Legionis XXII primigeniae piae felicis.*

» *Magiſſia* gens primum ex hoc noſtro lapide innotuit. *Attiani* cognomen occurrit & alibi (*o*), in noſtro tamen praenominis ſedem occupat. Cognomen *Hiberni* peculiare eſt lapidi noſtro; unde tractum, incertum. v. plura in *Alſ. Ill.* T. I. p. 436. ſq.

ARA PANTHEA

Detecta a. 1748. in ruinis caſtri veteris Horburgenſis à Viro Pl. Rev. ANDREA BRAUERO Paſtore Hunnaevillano. Duae partes, in quas erat diſſecta, nunc iterum junctae comparent. Alta eſt ara pedes 2. poll. 8. lata ped. 1. poll. 8. Epigraphe ejus haec eſt:

IN. H D D
ARAM
BIRRIVS
M A R T I V S
D. S. D.

v. *Alſ. Ill.* T. I. p. 468.

» IN. H. D. D. *in honorem Deorum Dearum* vel forſan » *in honorem Domus Divinae*, ſcilicet, quod conſuetudo » ferebat, Imperatoriae. *Birria* gens & alibi occurrit

B ,, in

(*o*) GRUT. DCCXXI. 2.

» in marmoribus (*p*), in nummis nuſquam. *Martium* » nomen alias gentis eſt (*q*), hic cognominis locum tue- » tur. D. S. D. *de ſuo dicavit.*

ARAE DIVODURENSIS PERTINACI SACRAE INSCRIPTIO

» Inventa Divoduri a. 1749 ara quadrilatera, magnae » molis, exhibebat uno in latere ſculptum Apollinem » cum lyra, ſtantem ad aram vicinam, oppoſitum latus » oſtendebat Mercurium cum comitibus ſuis capro & » gallo. Duo reliqua latera inſcriptiones dedicatoriae » occupabant, utraque iiſdem verbis concepta. Eas » tabulas, longas pedes 3. pollices 7, ab ara mutilata » &, quod ſane dolendum, in orcum, unde erat protracta, » iterum redire juſſa, abſtractas & ſeparatas, *Vir Am-* » *pliſſimus* CARTESIUS in Metenſi Parlamento Senator ad » *Virum Illuſtriſſimum* de GAYOT, *Regium poſtea apud* » *nos Praetorem*, transmiſit. Is, ut Muſas fovere con- » ſuevit, fragmenta pretioſiſſima in Muſeum, quod de- » ſcribimus, intulit. » Ceterum, in nomen Alſaticis ada- matum Muſis dum incido, pia mente memoriam Viri, promovendis litterarum ſtudiis nati, hic recolere & ce- lebrare liceat. Digniſſimum tanto parente filium intel- ligo, juniorem GAYOTUM, qui patrio apud nos ornatus munere, paternis artibus, Themidis præſidium, Miner- vae dulce decus fuit.

„ Ex verbis itaque memoratae Divodurenſium arae „ inſculptis reſtant ſequentia.

Fragmen-

(*p*) GRUTER. CVI. 6. MURATORIUS Inſcr. T. III. pag. MDCXLVI. 5.

(*q*) GRUT. CCL. CLXVII. 10. CCCXX. 9. &c.

Fragmentum I.

.·.· HELVI. PERTINAC.

.·.· VG. P. P. PONTIF. MA...

.·.· RIB. POTESTAT. COS. II.

.·.· HEL. PERTINACIS. CAE

.·.· L. TITIANAE AVGVST.

Fragmentum II.

PRO. SALUTE. IMP. CAES.

P. HELVI. PERTINACIS

AVG. P. P. PONTIF. MAX.

TRIB. POTESTAT. CO .·.·.·

P. HEL. PERTINACIS. CAES.

ET. FL. TITIANAE AVGVST.

OCEANVS. SER. VERNA

Ad latus ſaxi:

DISPEN .·.· A FRVMENTO

Ea ſic legenda:

„ *Pro ſalute Imperatoris Caeſaris P. Helvii Pertina-*
„ *cis Auguſti, Patris Patriae, Pontificis maximi, Tri-*
„ *buniciae Poteſtatis, Conſulis iterum,* & pro ſalute *Pu-*
„ *blii Helvii Pertinacis Caeſaris & Flaviae Titianae Au-*

 guſtae

„ *gustae Oceanus servus verna dispensator à frumento*
„ hanc aram scilicet posuit.

„ Monumentum est praestans & unicum. Characteres, quibus expressa epigraphe, unciales sunt, quadrati, longe elegantissimi. Lapis ipse Pertinacis Imperatoris filium *Caesarem* à Patre factum, uxorem etiam *Augustam* appellatam esse testatur, quod utrumque JULIUS CAPITOLINUS (*r*) & DIO CASSIUS (*s*) negant Imperatorem voluisse concedere. Potior tamen hic lapidis nostri fides esse debet, à servo verna, rerum gnaro, in heri herilisque uxoris & filii honorem positi; maxime quum & *Titianae Augustae* graeca numismata extent. (*t*) Videtur ergo, quod prius negarat Imperator, permisisse postea. *Oceani* nomen & alibi legitur (*u*). *A frumento* dicitur Caesari, id est frumentarius copiarum apud Mediomatricos. Plura dabit *Als. Ill.* T. I. p. 587.

ANAGLYPHA DEORUM VOTIVA

CASTOR ET POLLUX IN LAPIDE JOVI ET JUNONI SACRO

Inventus hoc saeculo Brocomagi & translatus huc a. 1736 quadratus lapis est, altus ped. 1. poll. $2\frac{1}{2}$. latus ped. 1. poll. 4. Repraesentatur in *Als. Ill.* T. I. Tab. I. 1. 2. 3.

„ Unum

(*r*) in *vita Pertinacis* Cap. V. & VI.

(*s*) L. LXXIII.

(*t*) v. VAILLANT in *Nummis Graecis Imperatorum & Augustarum* p. 77. EZECH. SPANHEMIUS de *Usu & Praestantia Numism.* Diss. XI. p. 293.

(*u*) MURATORI *Thes. Inf.* T. II. p. DCCCCXCVI. 10. MXII. 5. MCDLIII. 3.

„ Unum ejus latus eſt inſcriptum, reliqua promi-
„ nentibus figuris ſculpta. Primo viſitur Caſtor, quarto
„ Pollux, uterque equo adſtans, nudus, palliolo ſu-
„ per humeros tectus, haſtaque pura armatus; ter-
„ tium duos genios ſiſtit, cornucopiae manu tenentes,
„ quorum prior, pallio paululum longiore indutus, ad
„ aram ſacrificat. Secundi lateris inſcriptio haec eſt:

I. O. M.

ET. IVNONI

REGI .·. ELVC

INIVS. VICT

VRVS. EX. V.

v. *Alſ. Ill.* T. I. p. 471.

„ REGI .·. E, *Reginae*, perforatus lapis duas litte-
„ ras lectorum oculis abſtulit. Sic ergo legendum:
„ *Jovi Optimo Maximo & Junoni Reginae Lucinius*
„ *Victurus ex voto* ſcilicet poſuit. *Jovem & Junonem* in
„ lapidibus junctos frequenter offendimus. *Luciniam*
„ gentem nec nummi nec marmora norunt. *Vi-*
„ *cturi* de cognomine idem dicendum.

MERCURIUS REICHSHOVIANUS LITTERATUS

Is detectus extra muros Reichshovii oppidi, nono ab Argentorato lapide, ubi eccleſiae dirutae muro fuerat

infertus, advectus huc eft a. 1742. altus pedes 4. poll. 2. latus pedem 1. poll. 10. „ Infculptam habet „ anaglyptico opere Mercurii imaginem, à dextro ejus „ humero pendet ftrophium, finiftra manu tenet mar- „ fupium, dextram capiti hirci imponit; ad latus utrum- „ que fuperius muliebris protome cernitur, forfan „ Majae (matris) & Opis (nutricis), ad pedes vero „ capita duo vifuntur. Repraefentatur in *Alf. Ill.* T. I. Tab. IV. n. 3. Infcriptio haec eft:

DEO. MER. S. VIC

TORINA. NATALIS

EX. V. P. L. L. M.

Deo Mercurio fecunda Victorina Natalis ex voto pofuit lubens libero munere.
vel *Deo Mercurio Sacrum. Victorina* - - -

„ *Secundae* praenomen rarum in lapidibus. „ *Victorina* ut occurreret in noftris, par fuit fane, poftquam & *Victor* & *Victurus* comparuere. „ Ceterum *Victo-* » *rinae* nomen & alibi (*x*) legitur, pariterque cogno- » men *Natalis* (*y*). cf. *Alf. Ill.* T. I. p. 449.

MERCURIUS REICHSHOVIANUS ILLITTERATUS

Hic inventus eft a. 1742. eodem loco, quo alter litteratus, eodemque anno huc pervenit. Altus ped. 3. poll.

(*x*) GRUTER. DCCXV. 3. VII. 6. (*y*) GRUTER. DLII. 2. ubi tamen nomen potius effe videtur.

3. poll. 6. latus ped. 1. poll. 10. » Symbola habet » omnia (z), caduceum, hircum, gallum, bulgam, » quam is dextra ſua inter duo hirci cornua reponit. Siſtitur in *Alſ. Ill.* T. I. Tab. V. lit. *b*. cf. p. 450. Similem & PEUTINGERUS (*a*) olim poſſedit; & BEGERUS (*b*) in Muſeo Palatino reperiri teſtatur. In Wirtembergicis etiam monumentis nonnulli occurrunt noſtro ſimillimi, quos SATTLERUS exhibuit (*c*).

DEIRONAE DEAE VOTIVUS LAPIS

Repertus in fano Lotharingiae S. Naboris (S. Avaud.) a. 1751. & Muſeo huic cura *Per-Illuſtris* GÜNZERI, Regis olim ad Circulum Suevicum legati, illatus. Altus ped. 1. poll. 4. latus pedem. Repraeſentatur Tab. noſtra I. Fig. II. Anaglypham habet Deae Deironae iconem. Inſcriptio ſubjecta haec eſt:

DEAE DEIRONAE

MAIOR MA

GIATI FILIVS

V. S. L. M.

v. *Alſ. Ill.* T. I. p. 588.

In litteris epigraphes (*d*) notanda ſunt iſta: E characteri

(z) Qualia fere in gemma apud GORLAEUM ex quo & apud MONTFAUCON T. I. Pl. LXXIII.

(*a*) v. ejus *L. Inſcr. Aug. Vind.* fol. Mog. 1520.

(*b*) *Theſ. Palat.* p. 15.

(*c*) *in Geſch. des Herzogth. Würtemberg* Tab XV. Fig. 1. & Tab. XX.

(*d*) Reſpice Fig. II. Tab. I.

racteri D inclusum conspicitur ; G partem superiorem superne reflexam habet ; F caput suum demittit similique modo L basin suam versus inferiorem marginem detorquet.

Imaginem Deae plane singularem id monumentum nobis offert. Pectore tenus repraesentatur , rigidis comis, supra frontem in cincinnos assurgentibus indeque ad aurium regionem usque recta defluentibus, à quibus dein ad apsidis , in qua tota effigies sistitur, marginem transversim diducuntur. Collum pectusque tota vestis tegit, ita adstricta , ut vix plicas ullas videre liceat, paenulam, arcto collari instructam , haud male diceres. Huic iconi similem nusquam reperire contigit. Certo modo cum *Iside* comparari posset, quam certatim CASALIUS (*e*), CUPERUS (*f*), BEGERUS (*g*), MONTEFALCONIUS (*h*) expressere , nisi quod haec cornua & aures vaccinas ostendit; vel cum protome *Dianae,* qualem ex clypeo BEGERUS (*i*) offert, pharetram & arcum si exceperis.

Symbolis ceterum, quibus Dii Deaeque gentilium condecorati occurrunt, penitus quum destituta sit icon, difficile foret quicquam de ea statuere, nisi & locus, ubi inventa Dea, venationibus instituendis aptus & magis adhuc nomen , quod epigraphe habet , ut *Dianam* lunam & venatricem intelligamus , suaderet. *Deirona* scilicet vel *Dirona* eadem esse videtur , quae *Sirona* , quam Apollini fratri lapides quidam jungunt, ut apud GRUTERUM (*k*) isti:

APO-

(*e*) de *Ritibus Aegyptiorum* p. 38. cf. & T. II. Suppl. Tab. XLIV. b.
(*f*) in *Harpocrate* p. 109.
(*g*) *Thes. Brand.* T. III. p. 300.
(*h*) *Antiquit.* T. II. Tab. CXIII.
(*i*) *Thes. Brand.* T. III. p. 231.
(*k*) p. XXXVII. 10. 11.

APOLLINI
GRANNO. ET
SANCTAE
SIRONAE
SACRVM.

APOLLINI GRANNO
ET SIRONIAE * DIS PRAE
SENTIB. Q. AXIVS. AELI
ANVS. V. E. PROC. AVG. C.
* SIRONAE ex Zamosio.

Item apud SATTLERUM (*l*):

IN. H. D. D. APOLLINI ET SIRONAE
AEDEM CVM SIGNIS. C. LONGINIVS
SPERATVS. VET. LEG. XXII. PR. P. F.
ET IVNIA. DEVA CONIVNX. ET. LON
GINI. PACATVS MARTINVLA HILA
RITAS. SPERATIANVS FILI. IN
SVO POSVERVNT V. S. L. L. M.
MVCIANO ET L. FABIANO COS.

Sironae vel *Seironae* nomen autem unde quaesitum *Lunae Dianae*, dispiciamus. Clarissimus HAGENBUCHIUS, litteris ad Virum Doctissimum ANDREAM LAMEJUM, hodie *perpetuum Academiae Palatinae Secretarium*, a. 1754 datis, triplicem nominis ejus rationem subministraverat, statim enim *Sironam* ἀπὸ τῶν Σιρῶν vel Σειρῶν (*m*) seu granariis deduci posse statuit, ut *Apollinem Grannum* etiam à *granis* dictum putabat. Sed ipse mox » Sirona ne sic » magis in granario defossa absconderetur, quam ut » erueretur illustrata, veritus » eam sententiam abjecit, atque

(*l*) *in Geschichte des Herzogthums Würtemberg* p. 144. Tab. III.

(*m*) V. VARRO *Rei Rust.* L. I. c. 57.

atque ex Hebraeorum lingua vocis originem accerſere inſtituit. Vel enim Sironam a צהר *Zahar luxit* vel à סהר *Sahar rotundus fuit* derivandam putavit, ſic, ut eadem foret, quae Chaldaeis סהרא *Sihara* luna, ſimulque *Grannum Apollinem* à קרן *karan* radiavit quaſi *radiatum* vel *radiantem* appellatum fuiſſe cenſuit; vel à שיר *Schir* ſive *Sir*, canticum vel cantio, unde & Sirenas BOCHARTUS dictas voluit. Equidem SUIDAE auxilio rem in apricum deduci poſſe arbitror. Illi (*n*) σεὶρ, σειρὸς, eſt ὁ ἥλιος, Sol ſive ſidus. (*o*) κατ' ἐξοχήν. Ut ergo à Phoebo Phoebe, à Cynthio Cynthia, ſic & à Σεὶρ, σειρὸς, Σειρόνη luna mihi dicta videtur. Porro à *Sirona* ad *Dironam* vel à *Seirona* ad *Deironam* haud difficilis tranſitus. Vices ſuas ſaepiſſime mutare apud Graecos literam S & D multifariis exemplis ita patet, ut dubitare nefas ſit. Sic ὀδμὴ, ὀσμή, ſic Θεὸς, Σιός, ſic ἑαυτὸς, ἑαυσός. Sic ergo *Deirona*, *Seirona*, quae proinde *Diana* eſt; miro certiſſime fato fratrem *Apollinem*, & *Grannum* quidem *Apollinem*, quocum in aliis monumentis juncta comparet, in hoc quod deſcribimus, Lapidarium muſeum inſecuta. Eo autem major ejus eſt monumenti praeſtantia, quod ſolum eſt hactenus cognitum, in quo *Dirona* & quidem ſola occurrit. Tandem id etiam monendum, *Dironam* noſtram à *Divona* AUSONII (*p*) eſſe diſtinguendam; deceptum quoque fuiſſe CALMETUM (*q*), cui, ut ipſe refert, parochus loci retulerat, pro *Dironae* legendum eſſe *Deae*
Fero-

(*n*) v. voçem Σείρ.

(*o*) A σειρὸς factum eſſe *ſidus* latinorum admodum eſt veroſimile. Nec minus *Oſiridis* nomen apud Graecos inde derivandum.

(*p*) in *Clar. Urb.* & quidem in *Burdigala* v. 32. p. 261.

(*q*) in *Notice de la Lorraine* Tom. I. col. 48.

Feroniae; lapis ipſe inſpectus contrarium docet. Sed *de Dea Deirona* ſic ſatis.

Qui votum ſolvit, *Major* eſt *Magiati filius*. *Magii* nomen apud GRUTERUM aliosque eſt in lapidibus obvium, occurrit & *Magia*. *Magiati* nomen, Gallicum forſan, hoc noſtro primum in lucem prodit. Simili modo *Major* qui vocatus ſit olim, neminem novimus. Erit forſan, qui filium Magiati majorem ſcilicet natu intelligendum cenſeat.

VENUS BROCOMAGENSIS

Ex ara quadrilatera & eminentibus Deorum figuris undique ornata, Brocomagi a. 1742 inventa, traductus huc lapis anteriori parte *Venerem* integram, ex latere altero *Apollinem*, ex altero Deam, *Veſtam* fortaſſis, ſed utramque imaginem mutilam ſiſtit. Altus eſt lapis ped. 3. poll. 9. latus pedem 1. poll. 8. Venerem noſtram *Alſ. Ill.* T. I. Tab. V. a. repraeſentat. Juncta habet Veneris marinae, victricis & Paphiae ſymbola, quod prorſus ſingulare, nec alibi viſum. » Siſtitur quippe ſiniſtro » tantum femore leviter tecta, capite coronam geſtans » ex marinis ſex conchulis coagmentatam, quarum » quinque ſibi ordine junctae ſunt, ſexta ſupra comam » Deae decidit; dextra ſpeculum octangulare, ſiniſtra » haſtam fractam tenet; ei Cupido adſtans columbam » offert. » Plura v. *Alſ. Ill.* T. I. p. 476.

CYBELE TABERNENSIS

Inventum hoc anaglyphum Tabernis Alſaticis a. 1760 ex albo lapide & duro confectum, *Sanctimonialibus* ibi

 degen-

degentibus acceptum referimus. Altum eſt ped. 1. poll. 4. latum pollices 7½. Repraeſentatur Tab. noſtra I. Fig. III.

Sedens Dea ſpectatur, cincinnata, probe veſtita, tunica cingulo adſtricta, ſiniſtro brachio pinum tenet, dextra quid geſtarit, incertum. Turritam coronam ſi capite haberet idolum, prorſus cum eo conveniret, quod è *Larario* hujus muſei in *Alſatia Illuſtrata* delineatum occurrit T. I. Tab. VI. n. IV. pinus certe eadem forma eſt. Nec opus, ut plura ſymbola juncta ſemper compareant. Si quis autem abundantiae cornu agnoſcere malit, *Abundantiam* vel *Segetiam* (*r*) Deam appellare poterit; nobis tamen non ſit veroſimile.

Ceterum ultimam manum haud ſenſit monumentum hoc noſtrum, quod rudiores caeli ictus oſtendunt.

PALLAS NIEDERBRONNENSIS

Reperta a. 1760 in vico Niederbronnae, nono ab urbe hac lapide, munificentia *Illuſtriſſimi Comitis de* LOEWENHAUPT ad nos tranſiit. Altus eſt lapis pedem unum poll. 6. latus poll. 11. repraeſentatur Tab. noſtra I. Fig. IV. Siſtitur ſcilicet ſtans, ſuperiori corporis parte nuda, inferiorem veſtis tegit; cujus lacinia ſuper humerum ſiniſtrum eſt rejecta, in capite galeam habet, dextra manu ſcutum, ſiniſtra haſtam puram tenet; ſuperne comparet adjecta avis, quam vix noctuam dicere auſim.

Iiſdem prorſus cum ſymbolis ſed inverſo modo in lapi-

(*r*) V. MENESTRIER *Hiſtoire de Lyon* p. 7. ubi ejus imago occurrit, quae cum noſtra certo modo comparari poſſet.

lapidibus Alſaticis & Würtenbergenſibus, quos *Alſatia Ill.* (s) & SATTLERUS (t) exhibent, *Pallas* occurrit.

SILVANUS DAGISBURGENSIS

Perſtiterat ad noſtra uſque tempora in ſummo horridoque Vogeſi apice Dagisburgenſis Comitatus, unde in hanc aulam dono *Illuſtriſſimorum Comitum* LEININGO-DAGSBURGICORUM translatus eſt a. 1743. altus ped. 4. poll. 6. latus ped. 2. Repraeſentatur in *Alſ. Ill.* T. I. Tab. XIII. E. » Siſtitur humana & ruſtica plane » forma, ruſtica veſte, manicata, ſuccincta, ad ge» nua tamen uſque defluente indutus, palliolo humeris » ſuperinjecto: ſiniſtra falculam, dextra baculum ob» longum tenet, cujus ſupremam partem pinea nux » tegit. Capitis crines breviores, mentum barba non » promiſſa ſed rotundata inſtructum. Ad pedes ipſius » animalculum recubat, forſan cuniculus. Vulgo *le pe» tit Man, der kleine Mann*, ſalutatus erat ab accolis. v. *Alſ. Ill.* T. I. p. 487.

Similem noſtrae Silvani imaginem ſat frequens eſt reperire. Dedit MONTFAUCON (t) aliique, dedit & SATTLERUS (u) in lapide Würtembergenſi, ubi tamen pro falce ſiniſtra manu clavam tenet, pro cuniculo aprum ad pedes ſibi adjectum oſtendit.

ANAGLYPHA ALIA

LEPONTIUS SIGNIFER

Inventus hic Argentorati e regione Palatii Haſſo-

 Darm-

(s) T. I. Tab. IV. n. V.
(t) L. ſupra cit. Tab. IX. Fig. 1. & Tab. XV. Fig. 3.
(t) *Antiq.* T. I. Tab. CLXXVII.
(u) *Beſchr. des Herz. Würtemb.* Tab. VII. Fig. 4.

Darmſtadtini in aedibus *Kellermannianis* anno 1737. alt. ped. 3. poll. 3. lat. ped. 1. poll. 10. Repraeſentatur in *Alſ. Ill.* T. I. Tab. I. 4. Habitus & arma ſaeculo I id monumentum vindicare videntur, ſcilicet » ſiſtitur tunicatus, chlamydatus, galeatus, ap- » pendente gladio, caligatus, dextra lanceam, ſiniſtra » clypeum tenet; ad cujus latus ſiniſtrum ponitur ſignum » militare, in quo gallus gallinaceus. In ſuperiori » margine lapidis ex omni, quae olim adfuiſſe vide- » tur, epigraphe unicum reſtat nomen, quod legitur » LE.·.·ONTIVS i. e. *Lepontius*, nomen nationis Rae- » ticae, ex qua is miles fuerat oriundus. Videtur au- » tem fuiſſe centurio vel ex auxiliaribus Gallorum co- » piis praefectus vel ſignifer, quod caſſis ornatior, lon- » gior chlamys, adſtans vexillum ſuadent; habitus ipſe » & armatura prorſus eſt ea, quam Gallis militibus tri- » buit DIODORUS SIC. (*x*) Plura dabit *Alſ. Ill.* T. I. p. 522.

EQUES CAPTIVUM POST SE TRAHENS


Virtutis bellicae monumentum, inventum anno ſuperiori demum Niederbronnae & munificentia *Per-Illuſtris* Viri JOHANNIS DE DIETRICH Praetoris honorarii, eximii Muſarum Patroni, ad quem ea regio ſpectat, huc translatum.

Quadratus eſt lapis, pedes 2. pollices 6. altus latusque. Exhibet monumentum illud Tab. noſtra II. Fig. I.


Siſtit equitem tunica & ſago indutum, nudo capite, brevioribus & incomptis capillis, ſiniſtra manu frenum tenen-

(*x*) BIBLIOTH. L. V. p. 307. 310.


I.



II.



IV.



III.



Weis sc.



tenentem, dextra bipennem; ad elevatam equi caudam videtur alligatus captivus reluctanti ſimilis, in quem converſo capite oculos victor conjicit; duo equi pedes edaci temporis dente ſunt abſumpti, captivi pedes nunquam expreſſi fuiſſe videntur.

Cujus in honorem id tropaeum olim ſit collocatum, neſcimus. Quarto poſt C. N. ſaeculo tuto ſatis adſcribi poſſe & tropaei ipſius & anaglyphi ratio docet. Ea quippe aetate in pejus jam fuerat prolapſa, ut omnium fere artium, ſic & ſcalpendi peritia, in provinciis maxime, in quibus id eo minus mirum accidit, quod ipſius Romae etiam ex hoc aevo monumenta jam ingruentem barbariem innuant, ut vel ex *Conſtantini Imp.* arcu triumphali & nummis notum; non tamen infra Romani in noſtris oris imperii aetatem detrudendum nobis lapidis artificium videtur; decumbentis enim, nondum prorſus extinctae artis eſt.

Praeterea non alio ſaeculo frequentius Victores, equis inſidentes, in captivum humi proſtratum inſultare viſuntur: id quod ex permultis Imperatorum hujus aevi nummis patet. Securis vel bipennis, qua armatus comparet eques, ut à ſagari Amazonum (*y*) maxime differt, ita cum bipenni ſive Franciſca Francorum e Merovingica (*z*) ſtirpe Regum optime convenit. Gallico-Romanum proinde tropaeum eſt, quod ſi quis ad MAGNENTIUM Imp. ipſum referre velit, poterit ad ſimilia ejus in Nummis (*a*) victoriae monumenta provocare. In quibus tamen illud obſervamus diſcriminis, quod hoſtem ſupplicem victor ante

(*y*) v. MONTFAUCON *Antiquit.* T. IV. Tab. XIV.

(*z*) v. CHIFLETIUS in *Anaſtaſi* *Regis Childerici.*

(*a*) v. PATINUS, VAILLANT, MEDIOBARBUS.

ante ſe habeat vulgo, quem haſta confoſſurus videtur. Verum diverſi ejuſdem victoriae actus, ut ſic dicam, reputandi ſunt, quos nummi & lapis noſter exprimunt. Iſti decertantem cum hoſte Caeſarem & virtutis edentem ſpecimina exhibent, hic ſuperatum hoſtem à gloriante quaſi Imperatore tractum refert. Breves equitis capilli, veſtitus & habitus ſic ſatis lapidi noſtro cum numiſmatibus conveniunt. Magnentio qui tribuere dubitet, JULIANO forſan Principi adſcribendum monumentum arbitrabitur, cujus noſtrae etiam orae victricia arma ſenſerunt.

Denique has ſuſpiciones noſtras nemini obtrudimus, in eorum partes ſponte conceſſuri, qui certiora aut probabiliora attulerint. Hoc tamen ſatis videtur extra dubitationis aleam poſitum, Imperatoriae potius virtuti, quam inferioris cujuſdam belli ducis celebrandae victoriae deſtinatum monumentum eſſe, quod & ejus aevi mores ferebant, & locus ipſe, quo inventus eſt lapis, ſuadet, qui ruderum Romanorum adeo plenus fuit, ut ſtativa ibi habuiſſe Romanos nullum ſit dubium.

GLABRO SERVUS

Inventus in villa Gerſtheim & dono *Generoſiſſimae* BOCKIORUM familiae huc adductus a. 1744. altus ped. 4. pollices 4. latus ped. 1. poll. 11. Repraeſentatur in *Alſ. Ill.* T. I. Tab. I. 2. » Siſtitur indutus tu- » nica manicata & brevi ſeu palla Gallica, bullam ha- » bet collo pendulam, ſiniſtra marſupium tenet. v. *Alſ. Ill.* T. I. p. 519.

„ *Glabro*

» *Glabro* unde dictus, incertum. Marſupium ad » Domini nutum eum portaſſe, manifeſtum eſt. Bulla, » quam collo geſtat, ASCONII PEDIANI (*b*) & *Scholia-* » *ſtis* (*c*) veteris JUVENALIS loca illuſtrat, quibus ſcor- » teas bullas libertinis datas teſtantur. » Simili mo- do *Cel.* CAYLUS (*d*) producta ſervi imagine loco PHAE- DRI (*e*) lucem affudit.

COLUMNAE MILLIARES

EPAMANDUODURENSIS NERVAE TRAJANI

Inventa a. 1718 Epamanduoduri, quae villa eſt Comitatus Montisbelgardenſis, ut aulam hanc exornaret, *Sereniſſimi Ducis* WÜRTEMBERGENSIS liberalitate effectum eſt. » Columna teres eſt, albicantis coloris, » lapide oblongo, rotundo, perpetuo ſive uno ſcapo » ſtylove conſtans. alta ped. 6. diametri ſesquipedis, » à ſummo ad imum imminuitur paululum. Stylobates » adhaeret ipſi Columnae. Repraeſentatur in *Alſ. Ill.* T. I. Tab. I. n. 5. Inſcriptio digitalibus confecta litteris haec eſt:

D IMP.

(*b*) *Commentat. in Ciceronis Orat.* pag. 107.

(c) ad *Satyr.* V. 165.

(*d*) *Recueil d'Antiq.* T. II. Pl. LXXXIV.

(*e*) *Fabul.* L. II. *Fab.* 5. ubi deſcribitur

„ Ex alticinctis unus atrienſibus,
„ cui tunica ab humeris linteo Peluſio
„ erat deſtricta, cirris dependentibus.

IMP. NERVAE
TRAIANO
CAES. AVG. GER.
DIVI NERVAE. F.
P. M. TR. P. P. P. CoS. II.
VESANT. M. P. XXXXIIX.

Imperatori Nervae Trajano, Caesari Augusto Germanico Divi Nervae filio, Pontifici Maximo, Tribunicia Potestate, Patri Patriae, Consuli iterum, Vesantio milliarium posuit quadragesimum octavum vel *Imperatore . . Pontifice . . Patre Patriae, Consule iterum*, scilicet positus est lapis *Vesantione mille passus XXXXIIX.*

„ Incidit tempus locatae in honorem novi Principis „ columnae in A. C. XCVIII (*f*), quo forsan via militaris Vesontino-Alsatica primum strata fuit. XLVIII „ passuum millia, quibus Vesontione Epamanduodurum „ distare dicitur, de milliaribus Romanis intelligenda „ sunt, quae sic satis amice conspirant cum XXXXIV „ leugis Gallicis, quas ANTONINI *Itinerarium* interesse „ memorat. v. *Als. Ill.* T. I. p. 549. Scilicet distant memorata loca XV leugas hodiernas Francicas, quarum quaeque duas antiquas Gallicas cum quinta fere parte,

(*f*) Duae aliae eodem anno positae extant, altera Tiguri, Genevae altera. De quibus v. *Als. Ill.* T. I. p. 548.

parte, item tria Milliaria Romana continet.
15 leug. Fr. = 36 leug. Gall. = 45 Milliar. Rom.

BROCOMAGENSIS VALERIANI IMP.

Hanc in aedium rusticarum vinaria cella repertam, cum aliis Brocomagensibus anaglyphis, de quibus supra, *Serenissimi* HASSO-DARMSTADTIENSIS LANDGRAVII, tum Principis Haereditarii, munificentiae debemus. „ Columna rotunda est & teres ex rubro lapide sculpta, „ integra adhuc & illaesa. alta ped. 6. diam. ped. 1. „ stylobates columnae adhaeret. „ Repraesentatur in *Alʃ.Ill.* T. I. Tab. I. n. 7. cf. pag. 550. Inscripta sic:

IMP. CAES. PVB
LIO. LICINIO
VALERIANO. PIO
FELICI. INVICTO
AVGVSTO. CIV.
TRIBOCORVM.

„ Positus lapis est inter A. C. CCLIII. & CCLIX. „ Civitas Tribocorum dubio procul universus est ejus „ nominis populus, cujus caput & primaria ea tempestate urbs *Brocomagus* esse videtur. Caeterum milliarisne an leugaris is Cippus fuerit non constat, notis enim numeralibus caret, idque forsan eo, quod „ caput viarum fuit, quae ab oppido ad varias orae „ hujus plagas ducebant.

CIPPUS

IN PONTIUM DEDICATIONE POSITUS

Inventus Tabernis Rhenenſibus in aulam hanc dono *Illuſtriſſimi Marechalli Franciae* DE COIGNY tranſiit a. 1744. inſtar lapidis terminalis efformatus eſt, cum annexo ſtylobate. Altus ped. 4. lat. ped. 1. unc. 4. baſis eſt pedum 3. Epigraphe iſta;

IN H D D
L. SILVANIVS
PROBVS
PONTES
D. S. D. D.

In honorem domus divinae Lucius Silvanius Probus pontes de ſuo dedicat.
Alſ. Ill. T. I. p. 527.

Male ab aliis habita recte expreſſa eſt apud GRUTERUM (*g*), niſi quod duas lineas poſtremas in monumento ſejunctas ille in unam conflarit. » *Silvanii* nomen in monumentis eſt obvium. *Probi* cognomen » ei non in alio, quam noſtro junctum vidimus. *Pontes*, quos de ſuo i. e. ſuo ſumtu dedicavit, non ad » Rhenum ſed ad vicinos fluvios Lutharim vel Queicham pertinuerant.

EPI-

(*g*) CLXIII. 5.

EPITAPHIA

TERENTIAE AUGUSTULAE EPITAPHIUM

Pridem ſarcophago, qui in eccleſia domus Petri prope Molshemium quarto ab Argentorato lapide viſebatur, erat inſculptum. Totus is loculus, longus ped. $6\frac{1}{2}$ latus $1\frac{1}{2}$ altus 2 poll. 3. abſque operculo tamen, quod dudum periit, delineatus in *Alſatia Illuſtr.* T. I. p. 524 ſiſtitur. Hodie anterior ejus pars, a reliquo monumento abſciſſa & ſuperius etiam truncata, in aula hac conſervatur, in quam ut perveniret munificentia *Eminentiſſimi Cardinalis Epiſcopi Argentinenſis* ROHANII II perfectum eſt. » Repraeſentat ex utro» que latere genium alatum & nudum, conjugalis amo» ris ſymbolum, titulo ſepulcrali manum admoventem. » Inſcriptio tota, a WIMPHELINGIO (*h*) & COCCIO (*i*) » male olim expreſſa, ſic habebat:

D. M.

ET MEMORIÆ TERENTIÆ
AVGVSTVLÆ CONIVGI (ſic)
SANCTISSIME (ſic) IVSTIVS IVS
TINVS MARITVS ET IVSTI
OCEANVS ET FLORIDA
MATRI PIENTISSIMÆ

Diis manibus & memoriae Terentiae Auguſtulae conju-

(*h*) In prologo Libri *de Epiſcopis Argentinenſibus.*

(*i*) In *Panegyrico Leopoldi Auſtriaci Epiſcopi Argentin.*

conjugis ſanctiſſimae Juſtius Juſtinus maritus & Juſtius Oceanus & Florida matri pientiſſimae, ſcilicet faciundum curarunt.

» Initium D. M. dudum cum operculo, cui inſcri» ptum erat, amiſſum. Secunda linea, quae contine» bat: ET MEMORIÆ TERENTIÆ, prius quam ad nos » tranſiret monumentum, abſciſſa fuit, unde iſta verba » hodie deficiunt. » *Terentiae* (*k*) nomen obvium. Rarius cognomen *Auguſtulae* (*l*). paulo frequentior *Juſtinus* (*m*) comparet itemque *Juſtius* (*n*) *Oceanus* jam ſupra adfuit in noſtris. (*o*) *Florida* vix aliunde nota (*p*). » Nimia litterarum compendia ſaeculum III vel IV arguunt.

» D. PETRONILLAE oſſa olim in hoc loculo condita » WIMPHELINGIUS & COCCIUS crediderunt. v. *Alſ. Ill.* T. p. 525.

FLAVII PEREGRINI EPITAPHIUM

Inventum a. 1767 hic Argentinae, in Colle ſuburbii albae turris, ab aedicula S. Michaëlis olim denominato, hodie deſtructo, dono *Sanctimonialium D. Barbarae* in hoc muſeum pervenit. Lapis ipſe ex arenario genere, incuria operariorum, quum erueretur, medius eſt diſciſſus, ut figura oſtendit. Ex quo etiam

(*k*) GRUTER. IX. 5. XXIV. 9.&c.

(*l*) *Auguſtae* cognomen privatae mulieri datum occurrit apud MURATOR. T. III. p. MDLXXIV. 3. *Auguſtulam* me legere memini, locus memoriam fugit.

(*m*) GRUT. DCXCII. 1.

(*n*) Saltem *Juſtia* apud GRUTER. DCCXCVII. 10. Sed & *Juſtius* apud *Murator*. T. II. p. DCCCXXVIII. 1. ubi pro *Erontinus* forſan *Frontinus* legendum.

(*o*) v. ſupra pag. 11.

(*p*) *Floridum* GRUTERUS exhibet DCCCXXXIII. 4. MXXXIII. 10.

etiam in aula resedit, à pluvia nonnihil detrimenti accepit, quod malum ne serpat ulterius, provida Amplissimi Possessoris cura cautum est. Altus est lapis ped. 4. latus ped. 1. poll. 10. sistitur Tab. nostra II. Fig. II. Inscriptio haec est:

T. FLAVIVS T. F

O F F N T I N A (sic)

P E R E G R I N V S

M E D I O L A N N I (sic)

M I L. L E G. V I I I

A V G. C E N T V R I A

M. I. G E L E R I N I

V I X. A N. X X V

S T I P E N D I O IIII

F H F C

Titus Flavius Titi filius Offentina Peregrinus Mediolanni Miles Legionis VIII. Augustae, Centuria Marci JuliiGelerini vixit annis XXV, stipendio quarto, scilicet obiit, *frater heres fieri curavit.*

Flavia gente, quam frequentius in lapidibus videas, erit nulla. *Peregrini* cognomen *Flavio* nomini junctum, ante nos, quantum novimus, nemo produxit, poste-

poſterior aetas apud Mediolanenſes in gentile nomen id convertit, quod hodieque in *Pellegrini* mutatum, ibidem viget. *Peregrini* ex Petronia gente militaris viri ſepulcralem titulum mutilatum ex GUICHENONIO producit MURATORIUS (*q*). *Offntina tribus*, cui adſcriptus erat Flavius noſter Peregrinus, *Offentina* eſt, alias & frequentius quidem *Oufentina* dicta, quae tamen vix aliter quam tribus initialibus literis OVF exprimitur. Littera E ſub lapidarii manibus excidit, ut littera O in *Voltinia* apud GRUTERUM (*r*) ubi legitur *Vltinia*. *Offentina* vero vel *Oufentina* tribus a. u. CCCCXXXV (*s*) inſtituta eſt, eique, ab Oufente flumine appellatae, Privernus primum ager, quem is rigabat fluvius, attributus eſt, poſtea & aliae diverſae civitates adſcriptae ſunt (*t*). In his ergo & *Mediolanum* fuit, quam rem aperte probat lapis Mediolani inventus, quem refert BONAV. CASTILLIONEUS (*u*).

V. F.

C. VIBIVS VERVS

OVF. MED. VIVIR - - -

Ubi *C. Vibius Verus* ex *Oufentina* Tribu *Mediolanenſis* ſalutatur.

Ceterum lapis noſter *Mediolannum* duplicata littera dicit, ſingulari exemplo, eoque notando magis, quo in-

(*q*) *Theſ. Inſcr.* T. II. pag. DCCCXLI. 6.

(*r*) pag. DLXIIII. n. 3.

(*s*) LIVIUS L. IX. c. 20.

(*t*) FESTUS voce *Oufentinae Tribus*.

(*u*) In *Diſſert. de Gallorum Inſubrium ſede* apud GAUD. ROBERTUM in *Miſcell. Ital. Erud.* T. IV. p. 479.

incertior eſt priſca ejus vocis ſcribendae ratio. *Mediolanium* enim non *Mediolanum* ex auctoritate PTOLEMAEI & STRABONIS & *lapidum litteratorum* eſſe efferendum nomen fuſe diſputavit MATTIUS (*x*).

Militaverat noſter in legione VIII Auguſta, quae diu his in oris perſtitit. Ejus infra in fragmento eximio mentio occurrit, alibique paſſim (*y*). Praeter legionem *centuria* etiam, cujus Peregrinus fuerat, indicatur. Nulli enim dubitamus, quin poſt AVG. in lapide fuerit expreſſum ⅃VRIA *Centuria*, cujus rei exempla & alibi proſtant. (*z*) *M. Jul. Gelerinus* centurio aliunde nobis notus non eſt. Cognomen *Gelerini* prorſus novum. Quis in locandum ſepulcralem titulum ſumptus erogarit, ultima linea docet, cujus ſiglae (*a*), ſiquidem provectior aetate obiiſſet Peregrinus, notare poſſent *filius heres fieri curavit.* Jam, quum quarto ſtipendio, anno aetatis vigeſimo quinto, mortem oppetiit, non poteſt niſi *frater heres* intelligi.

SIXTAE EPITAPHIUM A M. AEMILIANO POSITUM

Lapis iſte in Dagisburgenſi Vogeſi tractu repertus eodem tempore, quo Silvanus, quem ſupra pag. 21. memoravimus, ad nos pervenit. Altus eſt pedes 2 poll. 9, latus ped. 2 pollices 3. Inverſam fere cordis figuram offert, in cujus medio inſcriptio ipſa ſepulcralis,

E

(*x*) L. III. *Opinionum* cap. 32. apud GAUD. ROBERTUM in *Miſcell. Ital. Erud.* T. IV. p. 520.

(*y*) *Alſatia Illuſtr.* p. 510.

(*z*) v. GRUT. XVIII. 5. CCLXIX. 3.

(*a*) Eas nec GRUTERUS nec MURATORIUS habet. SERT. URSATUS F. H. F. explicat *filius* vel *frater hoc fecit.*

lis, multum detrita, difficulter legitur. Repraesentatur in *Alſ. Ill.* T. I. Tab. XIII. n. 1. & ſic habet:

D. M.

M. A I M I L I A N V S

S I X T A E. S I I D A T I

V X O R I S. M A T R I S

M A N S V I I T I.

Marcus Aemilianus Diis Manibus Sixtae, Sedati uxoris, matris Manſueti, titulum poſuit.

Aemiliani nomen vel ex Imperatorum Romanorum ſerie cognitum. Occurrit etiam alibi apud GRUT. (*b*) » *Sixtae* praenomen haud infrequens. *Sedati* (*c*) & » *Manſueti* (*d*) diverſarum gentium cognomina fuere.

AI pro AE, in nummis potiſſimum Aemiliae gentis ex more Graecorum legitur (*e*). Nota II pro E invenitur & alibi. Sigla ⳩, quae X T notat, ſingularis exempli eſt.

F R A G M E N T A

FRAGMENTUM LAPIDIS VOTIVI ANTONINO ET GETA COSS. POSITI

Ex Waſenburgo monte prope Niederbronnam ab *Illu-*

(*b*) LXXV. 8. CCCIII. 2. CCCXLVIII. 2.

(*c*) v. GRUT. *Inſcr.* pag. CCXLI. CCCCLXXI. 4. MLXXXVII. 1.

(*d*) v. GRUTER. *Inſcr.* pag. CVIII. 2. CXXVIII. 1. CCLXIX. 3. CCCXLV. 8.

(*e*) v. VAILLANT in *Nummis famil.* T. I.

Illuſtriſſ. Comite de LOEWENHAUPT a. 1755 ad nos transmiſſum inferiorem ſui partem ſanam oſtendit; altum eſt, quod reſtat e lapide, ped. 1. poll. 3. latum ped. 1. poll. 6. repraeſentatur tabula noſtra II. Fig. III. Leguntur hic iſta:

L E G. V I I I A V∴

V. S. L. L. M.

IMP. ANTONINO

II ET G∴ C. COS.

Legionis VIII Aug. votum ſolvit lubens libero munere Imperatore Antonino iterum & Geta Caeſare Conſulibus.

Mutilus hic lapis, etiamſi nomen ejus non doceat, qui votum ſic ſolvit, oſtendit tamen, militarem fuiſſe virum ex VIII legione, cujus praeter *T. Flavium Peregrinum*, de quo ſupra pag. 30, varia apud nos monumenta inveniuntur.

Poſitus titulus A. C. CCV *Antonino Caracalla Imp. II. & Geta Caeſ. Coſſ.* ſeptimo anno ante, quam iſte nefanda hujus caede manus polluit. In fratris necati nomen ita ſaeviiſſe Caracallam, ut id ex publicis monumentis tolli juſſerit, pervulgata à multis retro ſaeculis apud omnes opinio fuit, quam ante JUSTUM FONTANINUM (*f*) nemo convellere aut in dubium vocare eſt auſus. Etiamſi enim priſci auctores id nuſquam

E 2 totidem

(*f*) in *Antiquitatibus Hortae* L. I. c. III. §. II.

totidem verbis referant, & perperam proinde à FAM. NARDINO (*g*) excitetur teſtis SPARTIANUS, notiſſimum tamen eſt odium acerrimum, quo fraternam proſecutus memoriam à DIONE CASSIO (*h*) Caracalla ſcribitur. Dein valet hic illud, homines ubi tacent, ſaxa loquuntur, in quibus dehinc noſtrum hoc apud harum rerum gnaros primariam quandam ſedem occupabit certiſſime. Nec enim, quod ubivis ſubſtituendum pronunciat FONTANINUS, *L. Fulvii Plautiani*, quo ſocero olim Caracalla uſus eſt, nomen, in lapidem noſtrum ob ſpatii anguſtiam ullo modo aſſumi poteſt, & ex prima etiam nominis GETAE littera reſidua cernuntur veſtigia, ſimilique modo littera C, Caeſarem quae notat, manifeſta apparet. Et quid multa? notiſſimus Caracallae II & Getae Conſulatus notatur. Tandem etſi albis fere corvis rariora ſint hujus generis monumenta, in quibus deleta ſiſtuntur Getae praeconia, non tamen prorſus unicus eſt lapis noſter. Singulos GRUTERUS (*i*) & MURATORIUS (*k*) producunt, Britannicum & Pannonicum. Similem Geneva ſervat, Roma etiam in hortis Juſtinianeis & Florentia in Mediceo Muſeo, quod Cel. SCHOEPFLINUS (*l*) αὐτόπτης teſtatur.

(*g*) *Roma Antica* L. V. c. 6.

(*h*) *Hiſt.* L. LXXVII. p. 876. „ εἴ γέ τις ἔγραψε τὸ ὄνομα τὸ τοῦ Γέτα „ μόνον, ἢ εἶπε μόνον, εὐθὺς ἀπώλετο. „ ὅθεν οὐδ᾽ ἐν ταῖς κωμῳδίαις οἱ ποιηταὶ „ ἔτι αὐτῷ ἐχρῶντο. καὶ γὰρ καὶ οὐσίαι „ πάντων, ὧν ἐν ταῖς διαθήκαις αὐτοῦ τὸ „ ὄνομα γεγραμμένον εὑρέθη, ἐδημοσιώθη- „ σαν. Si quis vel ſolum nomen Ge- „ tae ſcripſiſſet aut pronuntiaſſet, ſta- „ tim morte mulctabatur; adeo, ut „ ne poëtae quidem in comoediis eo „ nomine deinceps uterentur, quin & „ bona eorum omnium, in quorum „ teſtamentis id nomen inventum eſt „ ſcriptum, publicarentur.

(*i*) CCLXVI. 4.

(*k*) T. I. pag. CCXLIV. 3.

(*l* in *Diſſertatione de Apotheoſi* recuſa in ejus *Commentationibus hiſtoricis & criticis*.

ſtatur. Poſt haec nodum profecto in ſcirpo quaerit, cui non omne hac de re dubium ſit exemtum, quicquid contra FONTANINUS (*m*) ex ſimulata ab Antonino fraternae memoriae reverentia proferat.

Ceterum ex aliis marmoribus memorati *Plautiani* & ipſius filiae, *Fulviae Plautillae Auguſtae*, nomina eſſe ſublata, equidem inficias ire nolim. Satis enim eam rem probarunt REINESIUS (*n*) & PERIZONIUS (*o*) & fuſius ipſe FONTANINUS (*p*) qui tamen ubi & utrumque Septimii Severi arcum triumphalem Romanum huc trahit, nimium ingenio ſuo & adamatae ſententiae indulſiſſe videtur. Et in majoris quidem arcus inſcriptione, bipedalibus litteris confecta, lineam integram eſſe mutatam, ex marmore ibi depreſſiore & foraminibus, quibus aes Corinthiacum olim inditum erat, veſtigia characterum aliorum obliterata indicantibus, FAM. NARDINUS (*q*) obſervavit. Idem HADR. AUZOUTO & P. SANTI BARTOLO notatum, JOS. M. SUARESIUS (*r*), Vaſionenſis olim Epiſcopus apprime doctus, refert. Accedunt JOH. VAILLANTIUS (*s*) & ANDR. MORELLIUS (*t*). His omnibus, ubi hodie linea quarta habet

OPTIMIS FORTISSIMISQUE PRINCIPIBUS

ibi olim fuiſſe haec verba viſum:

PUBLIO. SEPTIMIO. GETAE. CAESARI. PONTIF.

E 3 contra

(*m*) p. 46.
(*n*) *Epiſtola ad Rupertum* p. 612.
(*o*) in *triade Diſſertationum* p. 22.
(*p*) *l. c.*
(*q*) in *Roma Antica* L. V. c. 6.
(*r*) in *Expoſitione arcus Severi.* cf. JOH. P. BELLORII & JOH. JAC. DE RUBEIS *Veteres Arcus Auguſtorum triumphis inſignes.*
(*s*) in *Nummis Imper.* T. II. p. 253.
(*t*) in *Specimine Rei Nummariae* p. 184.

contra FONTANINUS (*u*) haec ſubſtituit, quae expreſſa olim fuiſſe nullus dubitat:

ET. L. FULVIO. PLAUTIANO. PR. PR. COMITI AUGG.

ſimili modo in minoris arcus epigraphe allata mutatio evidentiſſime patet. Verba enim lineae tertiae dimidiae

III. P. P. FORTISSIMO FELICISSIMOQUE PRINCIPI ET

itemque quintae iſta

PARTHICI MAXIMI BRITANNICI MAXIMI

in aliorum ſurrogata locum eſſe in confeſſo eſt apud omnes. Idque eo patet magis, quod *Britannici Maximi* titulum, quem Caracalla hic geſtat, nonniſi ſex vel ſeptem annis poſt erectum arcum aſſumſit. Quippe hic anno TRIBUNIC. POTEST. Severi XII ſive A. C. CCIV ſtructus eſt, nomen Britannici Caracalla ante a. CCX vel CCXI accipere non potuit. Jam in tertia, quam memoravimus, linea olim inſculptum fuiſſe ſtatuunt

ET. P. SEPTIMIO. GETAE. NOBILISSIMO. CAESARI.

in linea quinta

ET. P. SEPTIMII. GETAE. NOBILISSIMI CAESARIS.

pro quibus iterum FONTANINUS (*x*) priori loco mavult iſta

L. FULVIO. PLAUTIANO. C. V. PR. PR. COMITI. AUGG.

poſteriori haec

VXORI. FULVIAE. PLAUTILLAE. AUG.

verum vulgarem ſententiam longe praeferendam eſſe & ex eo redditur probabile, quod in publicis victoriarum monumentis, vivo etiam Septimio Severo locatis, & in quibus tota Imperatoria domus laudatur, Plautiani

(*u*) l. c. p. 47 & 49.

(*x*) p. 59.

tiani praeconia praeconiis Getae Caeſaris potiora fuiſſe habita non videantur. Quid, quod ipſa etiam Getae imago inter extantes arcus icones comparet eraſa?

FRAGMENTA MINORIS MOMENTI

FRAGMENTUM EPITAPHII

Detectum olim inter veteris Argentouariae ruinas ſepulcralis tituli litteras aliquot oſtendit, quae integrum ſenſum haud efficiunt. En illas:

D. M.

E I R M I

O. M. F.

Suprema linea formulam *Diis manibus* ſacram habet; infima poſſet exponi *Optime merenti fecit.* Altum & latum eſt fragmentum ped. 1. poll. 9. » Figura, » quam Tabula noſtra II. n. IV. exhibet, ſuperne in- » ſculptam juvenis protomen offert. (*y*) Qui ritus apud nos quondam frequens fuiſſe videtur, ut vel ex Dagisburgenſibus monumentis (*z*) patet.

FRAGMENTA TITULORUM INCERTI ARGUMENTI

1. Prius, longum ped. 3. poll. 4, altum ped. 1 poll. 6, Brocomago huc advectum, Baſilicae fortaſſis olim inſcribendae inſerviit & ſic ſe habet

T III

(*y*) *Alſ. Ill.* T. I. p. 518. (*z*) *Alſ. Ill.* T. I. Tab. XIII.

T III CIN

OFICII BAS

v. *Alſ. Ill.* T. I. p. 523.

2. Poſterius a. 1753 hic erutum ſequentes litteras habet

A E F

S E T D

I B A

altum eſt ped. 1. poll. 9. latum pedem unum.

URNA MAJOR SIVE AMPHORA

Diverſis uſibus apud veteres adhibitas eſſe urnas legimus; praeter ſepulcrales enim, quibus oſſa ſuorum & cineres condebant, aquarias etiam atque vinarias in ſupellectili ſua habebant. In his proprio quaſi nomine ſuo *urna* dicebatur, quae culei partem quadrageſimam continebat (*a*). Urna major ſive *Amphora*, ex ἀμφὶ & φέρω ſic dicta, quod duabus anſis inſignis eſſet, iſtam urnae menſuram duplam capiebat. Cum noſtra liquidorum menſura ubi confertur, menſuras fere tredecim (13 *maſen* vel 13 *pots*) complere noſcitur (*b*). Urna minor earum ſex cum dimidia circiter recipit.

Hæc quum ita ſe habeant, dubium non eſt, quin vas noſtrum argillaceum urna major ſive *Amphora* vel *Qua-*

(*a*) CATO *de Re Ruſtica* c. 148. SCHMIDII *lib. de ponderib. & men-*
(*b*) V. VOLUSIUS MAETIANUS *de ſuris* p. 162.
ponderib. & menſuris cf. EISEN-

Quadrantal ſit. Binis eſt anſis inſtructum, infra acuminatum, quod docet, aliqua ſui parte in terram fuiſſe defoſſum; altum eſt pedes 2, poll. 6. Huc Metis pervenit. Similem diotam Topinii (*Zofingen*) in Argovia ſibi viſam Ill. hujus muſei poſſeſſor meminit. Illam itidem argillaceam fuiſſe refert, altam pedes duos, nomenque ejus, ex cujus manibus prodierat olim, *Agricolae* ſcilicet, impreſſum oſtendiſſe. Certo modo cum aliis apud MONTEFALCONIUM (*c*) vaſis comparari poſſet. Imo ſimillimam noſtrae amphorae urnam ſed ſepulcralem, 2 pedes 3 poll. altam, Metis a. 1670 inventam Viri Reverendi JOH. FRANÇOIS & NIC. TABOUILLOT in Divodurenſibus monumentis (*d*) exhibent. Nos noſtrae iconem in *Vaſario hujus Muſei* ſuo loco repraeſentabimus.

(c) *Antiquit.* T. III. Pl. LXIX. & LXX.

(d) *Hiſtoire de Metz* T. I. 1769. Tab. I. cf. pag. 46.



MONUMENTA MEDII AEVI

STATUAE FERE COLOSSALES


RUDOLPHI HABSBURGICI STATUA

Inventa haec in platea dicta *Schilzgasse*, è regione viculi, cui à stridulo scarabaeo nomen, ante hos 20 annos in eam, quam nunc occupat, sedem migravit. Procera est, nonnisi cruribus tamen tenus efformata, alta quippe pedes 5 poll. 10, lata ped. 3 poll. 2. Repraesentatur in *Alf. Ill.* T. II. ad p. 514, ubi cum aliis ejusdem Imperatoris statuis confertur, equestri altera, quae in frontispicio summi templi Argentinensis conspicitur, altera sedente, quam Basileae videre licet. » In » nostra ergo, Imperatoris tempora liliata corona cingit. » Sceptrum, quod dextra tenebat, interiit. Tunicae » manicatae superimponitur pallium seu pluviale, quod » fibula rotunda & simplex, in pectore resplendens, » constringit. Ceterum eam statuam, aliasque simi- » les regales seu *steinerne Kœnige* dictas, in honorem » Rudolphi posuerunt Argentinenses (*e*), victoriam sic » celebrantes, quam is undecimo, antequam ad Im- » perialis dignitatis culmen ascendit, anno à GUALTHE- » RO *Episcopo* Comes adhuc reportaverat.

Sed en ipse *Gualtherus* etiam praesto adest; quamque vivus non potuit, post fata saltem amicitiam cum Rudolpho servat, cui jam per plures annos in eadem aula junctus extat. Sequitur ergo

WAL-

(e) *Alf. Illustr.* T. II. p. 308. not. (d)



I.



II.

memoria · johannis
mentelin civis · argen̄
parentū · suorꝝ Nicolai
Elyzabeth · Magdalene · prime uxoris
liberorꝝ · suorꝝ · Nec nō · Elyzabeth · de
Watzenheim · uxoris sue secunde .

Anno dñi · Mccclxxiii .

Weis sc.

WALTHERI EPISCOPI ARGENT. STATUA


Occupabat haec angulum *Falmerianae* domus, quae quondam ad nobilem MÜLNHEMIORUM gentem ſpectavit, quaeque etiamnum à viro lapideo, *zum ſteinernen Mann*, cognomen habet. Oppoſita fuerat ſimili cuidam epiſcopali ſtatuae, angulo aedis D. Nicolai inſertae, quae his etiam temporibus ibidem viſitur. In aulam hanc noſtra pervenit a. 1750. Alta eſt pedes 5 pollices 9, lata pedes 2. Repraeſentatur epiſcopus, ut in Tab. noſtra III Fig. I, ultra mediam corporis partem expreſſus, imberbis, juvenis, infulatus, toga & pallio tectus, quod ſupra pectus fibula connectitur; ſiniſtram manum attollit, dextra codicem tenet.

Cujusnam Praeſulis haec imago ſit, ſi quis quaerat, WALTHERI dicemus de KOENIGSECK, quem cum RUDOLPHO acriter decertaſſe diximus. Illi certe praematura morte extincto, victum enim ad Hugsbergam, qui vicus uno hinc lapide diſtat, moeror cito abſumſerat, juvenilis facies optime convenit. Ipſa etiam operis ratio, qua epiſcopalis haec Rudolphinae ſtatuae ſimillima cernitur, id ſuadere videtur. Eundem utriuſque ſtilum, eandem fere artificis manum, eandem ſtaturae ad crura fere productae molem, prima ſtatim inſpectio arguit. Conſtans denique fama, ab eo tempore ad hoc noſtrum propagata, Walthero tribuit.

EPITAPHIUM JUDAICUM

Poſt ejectos hac urbe Judaeos diu & ad noſtram fere uſque tempeſtatem coemeterii eorum magna pars

in ea regione reſtitit, quam vel hodie adhuc vicum Judaïcum ſalutare mos eſt. Ex eo in hoc lapidum ſignatorum & litteratorum conſortium feralis inſcriptio tranſiit; quam ſaxum 3 ped. 5 poll. altum, 2 ped. $1\frac{1}{2}$ poll. latum exhibet. Ea his verbis concepta eſt:



Monumentum hoc eſt, *quod Honae mariti manu poſitum eſt piae ac dilectae Dominae Eſtheri, amatae filiae docti ſodalis Judae Pontificis. Mortua eſt die 27 menſis Junii anno 131 ſecundum calculum minorem*, id eſt A. C. 1371. *ſit ejus anima in horto Eden. Amen. Amen. Amen. Selah.*

Sepul-

Sepulcrale monumentum apud Hebraeos aeque ac Chaldaeos ציון *zijùn* & ציונא ſalutari vel ex Ezechiele (*f*) notum eſt, eoque nomine noſtro adhuc aevo Judaeis uti perquam eſt familiare. (*g*) Unde mirum poſſet accidere, quod in eximia epitaphiorum copia, à WOLFIO (*h*) vulgata, ne unicum quidem occurrat, quod id nominis in fronte gerat. Verum enim vero apud Judaeos hic idem uſu venit, quod penes Latinos factum offendimus, ut diverſae regiones ſuas ſibi formulas proprias & ſolemnes habuerint. Sic *Diis Manibus & memoriae aeternae* conſecrare ferales titulos nullibi magis, quam in Celtica Gallia, fuit in uſu. Producti à WOLFIO ſepulcrales lapides Furthi, Cracoviae, Francofurti, Glogaviae deſcripti vulgarem inchoandi formulam habent פה נטמן *Poh nitmàn, hic reconditus eſt* vel פה נקבר, *Poh nikkabhèr, hic ſepultus eſt*; nonnulli à nomine vel laudibus defuncti ſtatim incipiunt; alii à dicto quodam Scripturae ordiuntur.

Scriptum funebre elogium à marito ipſo fertur, ſive ejus manu confectum, ubi monendum in tranſitu ducimus, vocem נכתב *nichtabh*, quae in ſecunda linea occurrit integra, in fine primae jam inchoatam ſiſti, in cujus rei cauſa apud Hebraeos ſollicita cura eſt, qua, ne vocem abrumpant vel dividant, neve imparia lectorum oculis linearum ſpatia objiciant, angue pejus cavent; quod vel in noſtratibus Hebraeis Codicibus Biblicis manu exaratis millies obſervare mihi licuit.

F 3 Mari-

(*f*) Cap. XXXIX. 15.

(*g*) Quid ציון differat à נפש v. apud HOTTINGERUM in notis ad *Cippos Hebraïcos* p. 53.

(*h*) in *Bibliotheca Hebraea* T. IV. p. 1173. ſeq.

Maritum defunctae *Honam* esse Sacerdotem, Experientissimus in Hebraea Manhemiensi schola artis medendi Doctor ABRAHAMUS HEUMANNUS me docuit, in nulla magis voce quam hac חונה *Hona* haesitantem. Mortuae ipsi nomen *Estheri* fuit; quid ei praemissum מרר *marar* sibi velit, paulo obscurius plurimis videbitur. Erunt fortassis, quibus placeat, per appositionem, quam dicunt, Estherem à marito, ob maximum quod reliquit sui desiderium, suum *moerorem*, nam & hunc מרר notat, (*i*) appellari. Clarissimus HEUMANNUS, quem & ista de voce potissimum consuluimus, מרת *marath*, legendum existimat, quod Chaldaeis *Dominam* significat & in Wolfianis etiam epitaphiis frequenter occurrit, litterae ת crus dextrum temporis injuria periisse ratus; mihi lapsus lapidarius artifex & crus illud lapidi insculpere oblitus videtur. *Juda* filiae parens venerando apud Judaeos חבר *chabhar* id est *sodalis* nomine venit, quo primaria Rabbinorum classis, Doctorum scilicet, mactari solet.

Obiisse fertur Esther mensis תמוז *Tammus*, qui Junio nostro respondet, die 27: siglas enim בכז puto sic explicandas ביום כז die 27. Annus ab aera minore Judaïca, quae ab a. C. 1240. initium capit, deducitur, sub voce לפרט *liprat* enim קטן *katon* intelligendum est.

Demortuae anima ut *in horto Eden* sit sive paradiso, vulgare est in epitaphiis votum; frequentius fere tamen illud תהי


(*i*) Imo à voce מרור *maròr* amaritudo, vocem Latinam *moeror* deducendam, à vero non alienum videtur. Interim saepe nihil magis dubium esse, quam vocum originem, sponte fatemur.

תהי נפשו צרורה בצרור החיים

quod ſic in compendio ſiſtunt: תנצבה, ſignificat autem, *ſit anima ejus colligata in faſciculo viventium.* Videtur ſimili voto exornatum fuiſſe epitaphium, cujus fragmentum, dum haec ſcribo, menſe Januario in ruderibus portae cavae noſtratis eſt detectum, de quo alibi pauca proferre lubet.

Illud denique monendum, noſtrum lapidem commode annum 1371 prae ſe ferre. Judaeos enim, a. 1349 urbe pulſos, praeterlapſo viginti annorum ſpatio rurſus magiſtratus admiſerat. (*)

(*) KOENIGSHOV. *Elſ. Chron.* p. 296.



MONUMENTA RECENTIA

JOH. MENTELIN TYPOGRAPHI MONUMENTUM

JOHANNES MENTELIUS ex Alſatica gente eaque plebeja (*k*) oriundus, aurarius primo & miniarius ſcriba, dein Epiſcopi notarius fuit; ad typographicam tandem artem, cujus inventor à multis falſo eſt habitus (*l*), ubi adjeciſſet animum, multa induſtriae ſpecimina dedit, quibus & probavit ingenium, & opes ſibi paravit. Obiit a. 1478. Quinquennio ante, ſuam ſuorumque memoriam appenſa tabula conſervare ſtuduit. Is lapis in ambulacro olim Wilhelmitanae eccleſiae muro fuerat infixus, unde ante hos viginti annos reliquis hujus muſei monumentis eſt adjectus. Altus eſt lapis ped. 2, latus 3. Verba ſic ſonant:

MEMORIA. JOHANNIS
MENTELIN. CIVIS. ARGENTIN.
PARENTVM. SVORVM. NICOLAI
ELYZABETH. MAGDALENE. PRIME. VXORIS
ET. LIBERORVM. SVORVM. NEC. NON. ELYZABETH. DE
MATZENHEIM. VXORIS. SVE. SECVNDE
ANNO DNI. M. CCCC. LXXIII.

Litte-

(*k*) Ex Raetica nobilitate eam gentem JAC. MENTELIUS ſed perperam deducit in *Paraeneſi de vera Typographiae* origine. v. Cel. SCHOEPFLINI *Vindiciae Typographicae* Cap. X. p. 95.

(*l*) Pro ea ſententia licet oppido falſa, tanquam pro aris & focis, magni nominis viri depugnarunt, quos inter JOH. SCHMIDIUS, BOECLERUS, SCHILTERUS occurrunt. Sed videſis *Vindicias Typographicas* Cap. V. p. 57.

Litterarum forma, nec monachalis prorſus nec Romana ſed ſemi-Germanica, impetravit à nobis, ut totam inſcriptionem aeri incidendam curaremus, quae Tabula noſtra III Fig. II comparet. Patet ex ea, receptam fuiſſe & ſolemnem iſti ſaeculo male ſcribendi rationem, qua diphthongis fuerat valedictum. Patet porro, male ſecundam Mentelii uxorem apud SCHILTERUM (*m*) Watzenhemio ortam dici. Littera enim epitaphii repugnat; deinde *Matzenhemiae* gentis inſigne, (*n*) leo coronatus in dextro lapidis angulo viſitur, cui ex altero latere opponitur baltheus transverſus à duobus leonibus, Friderici IV Imp. dono, ſuſtentatus, inſigne ipſius Mentelii (*o*), cum inſignibus civitatis non confundendum, quod SCHILTERO accidit.

SEBASTIANI BRAND EPITAPHIUM

SEBASTIANUS BRAND, ſive quod, ſaeculi ſui morem ſecutus, Latinum nomen adſciverat, SEB. TITIO, publicus circa initia ſaeculi XVI Civitatis noſtrae Cancellarius vel Archigrammateus fuit, ſimul etiam utriuſque Juris profeſſionem exercuit & poëſi clarus extitit. De ſcriptis ejus, in quibus notiſſima eſt *Stultorum Navicula*, alibi erit agendi copia. Quo anno obierit, feralis epigraphe, ex ſummo, in quo olim fuerat, Templo in Brandianae familiae aedes & inde in hanc aulam translata, docet. En illam

(*m*) *Obſerv. ad Koenigshov.* p. 451.

(*n*) HERZOG. *Elſaeſſ. Chron.* L. VI. p. 193.

(*o*) Eodem uſus eſt dein SCHOTTUS, Mentelii ex filia nepos, teſte JAC. MENTELIO in opere ſupra laudato.

SEBASTIANO BRANT ARGENTINO
V. I. DOCT. POETÆ AC ORATORI
DISERTISSIMO. HVIVS VRBIS AR
CHIGRAMMATEO SACRI CÆSA
REI PALATII COMITI ÆQVISSIMO
HIC SEPVLTO. HOC MARMOR
INTUENS COELOS OPTATO
VIXIT AN. LXIIII OBIIT
ANNO MDXXI
DIE X MEN.
MAII
OMNIA MORS ÆQVAT.

Latus eſt lapis ped. 2 poll. 10, altus ped. 2 poll. 10½. Litterae elegantes, unciales, quadratae, auro tinctae in nigra area comparent. Inferioris marginis ſiniſtrum latus occupant inſignia, noſtrati Brandiorum genti cum Baſilienſi (*p*) communia; referunt ſcilicet titionem, quem noſter ſimplicem, *Theodor. Brandius* Conſul Baſil. duplicem geſtat, ut proinde *Balthaſaris Hiltprandii* (*q*) clypeo clypeus Sebaſtiani noſtri ſit ſimilior. Ex adverſa parte, dextro nimirum latere, quae viſitur rota nigra, areae albae infixa, ad uxorem Brandii, *Eliſabetham Burgiam*, Baſilea oriundam, procul dubio ſpectat.

(*p*) v. URSTISIUS in *Chron. Baſil.* ad a. 1547. p. 620.

(*q*) apud URSTISIUM l. c. ad a. 1523 p. 537.



MUSEUM SCHOEPFLINI

RECENSET

JER. JAC. OBERLIN

AA. LL. M.

IN ORD. PHIL. ELOQ. LAT. ADJ.


II. MARMORARIUM



ARGENTORATI


Ex Prelo JONAE LORENZII, Typographi.
MDCCLXXII.

PERMISSU SUPERIORUM.



PARS SECUNDA

MARMORARIUM




QUOD antiquariae hujus supellectilis primae parti contigit, ut salvo venerando capite, cujus cura fuerat collecta, prodiret in lucem, id & reliquis esse obventurum optabam sperabamque.

Is erat in sene ante hoc biennium corporis animique vigor, ea in rebus gerendis alacritas, quae seram

canitiem, & plures vitae annos videbatur promittere. Verum longe aliud erat in fatis. Invasit superiori anno artus optimi viri fatalis languor, ex catarrhali febre ortus, prostrataeque vires instantem obitum nunciarunt. Praematura morte, boni enim viri obitum lugemus, nobis & litterato orbi ereptus est SCHOEPFLINUS, Lycei nostri eximium decus, quem solida eruditio nunquam a placida comitate, nec quotidiana cum magnatibus conversatio ab indefesso optimarum litterarum studio avellere potuit. Is, quoad vixit, publici commodi, si quis unquam, tenacissimus extitit.

Imagines inter, atria Musarum exornantes, SCHOEPFLINI imago locata coruscat, novique hominis nobile nomen viget. Restant inclyta ejus ingenii monumenta, aere perenniora: deducta in apricum Alsatiae fata, domus Badensis annales perpetui, typographicae litis felix compositio, Academiae Theodoro-Palatinae salubris institutio.

Flosculos nonnullos in tumulum humanissimi viri hic mihi sane sparsisse liceat, qui praeceptis ejus ab ineunte aetate imbutus, adjutus consiliis, benevolentia continua fructus, gratam alterius quasi parentis memoriam nonnisi cum ultimo halitu sum depositurus.



LITTE-

LITTERATOS signatosque lapides marmora excipiunt, figuris litterisque conspicua. Illos ex omni aetate collectos Alsatia nobis & Lotharingia obtulerat; haec, ejusdem propemodum aevi, Romani scilicet, Roma suppeditavit fere omnia, unde simul olim & agmine quasi facto ad nos transiere, novum, quem sibi cooptarant, patronum herumque ex communi patria sede huc comitata.

De caetero in hospitium, servandae huic marmoreae turbae dicatum, alia quaedam monumenta irrepsere pridem, formae ususque similis, at dissimilis materiae, gypsei scilicet, fictilis pictique operis. Tuam haec, lector amice, humanitatem obsecrant, rogantque, ne ex dulci consortio velis expulsa.

Comparent hic itaque, praeter *Isidis grandiorem statuam* aliaque *numinum minoris molis signa*, Larario tribuenda,

1. Anaglyphum

  * Herculis forsan & Hylae vel Dejanirae caput.
  accedit
  * Philosophi, fortassis Sexti Empirici, protome gypsea.

2. Musiva

  * Varia fragmina operis sectilis & quadratarii.
  * Pavimenti tessellati fragmentum ex Villa Tiburtina Hadriani.

 * Proto-

* Protome Bacchantis, operis vermiculati archetypus.
accedunt
* Picturae quaedam ex thermis Titi Imp.
* Fragmentum operis figlini.

3. Inscriptiones

a. Votiva. Latina
Arae ab Attilia Helena dicatae.
b. Ferales
signata simul
P. Titii Finiti.
nudae
Graecae
Heliopae.
Crescentinae.
Latinae
M. Sempronii Celeris.
Q. Gavii Armonii.
Q. Antonii Bassi.
T. Flavii Antonini.
Caeciliae Secundae.
c. Dubia. Graeca
M. Jul. Colarbasis.

Priores duae classes, quod asteriscus monet, primum evulgantur; posterior ex *Alsatia Illustrata* occurrit repetita, variis tamen momentis, quae ad eam explanandam conducunr, ditata.

ANA-



TAB. IV.


II.




III.



I.



IV.



Weis sc.

ANAGLYPHA

HERCULIS FORSAN ET HYLAE VEL DEJANIRAE CAPITA.

Marmorum familiam Hetrufcum opus ducit anaglyphum, allatum Roma a. 1727, quod Tab. IV. fig. 1. repraefentamus. Longum eft pollices 8, latum 6½.

Refert autem duo capita jugata, finiftrorfum refpicientia, viri alterum, barba recurva & cufpidata ut & capillis reflexis & corona fingulari ornatis infigne, alterum juvenis, feminae an viri incertum. Quibus five Diis five hominibus par hoc vindicare conveniat, non facile eft definitu. Nullum extat, quod nobis quidem vifum fit, ex antiquitate monumentum, quod cum hoc prorfus conveniat. Quodfi conjectura uti liceat, Herculem cum comite five Hyla five Jola, five Jole, five tandem Dejanira fifti dixerim.

Hylas Thiodamantis filius, eleganti forma puer, caefo patre raptus ab Hercule fertur, cui abhinc cum finiftra etiam fama itinerum focius adhaeferit, undis tandem hauftus (*a*). Genitum Iphiclo Jolam vel Jolaum Herculi Hydram necanti & Augiae ftabulum purganti adfuiffe fcribunt, cujus precibus etiam ab Hebe in juvenilem aetatem reftitutus fit (*b*). Jolen Euryti filiam fecum monftrorum domitor duxit (*c*); Dejaniram, Oeneo procreatam, uxorem habuit (*d*), fi fabulae fides.

Jam

(*a*) v. PROPERTIUS L. I. 20. VIRGILIUS *Eclog.* VI. 44.

(*b*) OVIDII *Metam.* L. IX. v. 399. HYGIN. *Fab.* 30. APOLLODOR. L. II. *Biblioth.* c. 4. & 6.

(*c*) OVIDIUS l. c. v. 394.

(*d*) Id. l. c. v. 136.

Jam Hercules & Jola σύμβωμοι culti apud Thebanos & Sardos fuere (*e*). Iis & junctim dicatus Lapis apud REINESIUM (*f*). Occurrunt in museis gemmae, capita Herculis & Dejanirae praeferentes, quas Dactyliothecae suae deliciarum parens inseruit (*g*) LIPPERTIUS, quartum millenarium propediem editurus. Sunt qui Herculem & Hylam in iis gemmis se deprehendisse putent. Herculem & Jolen in gemma Teucri offert STOSCHIUS (*h*).

Ex his itaque quod arriserit maxime, seligat quisque. Neque obstabit barba Herculis acuta & vultus a consueto ejus Numinis abludens. Hetruscis quippe solemne fuit & barbae formam acuere (*i*) & a trita Graecis formarum ratione discedere (*k*), &, ut in nostro, capillos striis, aequis fere passibus distinctis, expressos sistere (*l*). Quale sit denique capitis ornamentum, nodis connexum, videamus. Cincinnos capillorum rotundos vultum quasi septo includentes saepe in monumentis offendimus, ut in Platonis protome (*m*), in capite Romuli (*n*), in facie Isidis fictili (*o*), in capite Thesei (*p*) &c. Verum isti ad nostrum non quadrant.

(*e*) v. *Schol.* PINDARI *Ol.* 7. & PAUSANIAS in *Phoc.* cap. 17.

(*f*) *Syntagm.* p. 111.

(*g*) v. *Dactylioth.* P. I. N. 560-564.

(*h*) N.° LXVIII. in *Gemm. Caelat. Antiq.*

(*i*) Docet hoc inter alia exemplum Mercurii & Satyri cujusdam apud WINCKELMANNUM in *Monum. Antichi inediti* N.° 38. & 100. cf. CAYLUS *Recueil d'Antiquit.* T. II. Pl. XIX. & XXI. & GORIUS in *Mus. Etrusco* passim.

(*k*) cf. WINCKELMANN Op. cit. p. XXVII. *Tratt. prelim.*

(*l*) Ib. p. XXXII. cf. & N.° 101.

(*m*) in *Monum. Herculan.* T. V. Tab. XXVII. sq.

(*n*) in *Dactylioth.* LIPPERTII P. II. N.° 455.

(*o*) apud CAYLUM Op. cit. T. III. Pl. XCII. 1.

(*p*) apud WINCKELMANNUM *Mon. Ant. Ined.* N.° 101.

quadrant. Coronam putamus; quibus ex floribus confecta sit, nescimus. Sic rosis redimitum caput Poppaeae dat AUGUSTINUS (*r*), aliis floribus WINCKELMANNUS caput Ariadnes (*s*).

PHILOSOPHI, FORSAN SEXTI EMPIRICI, PROTOME.

Artem e gypso, creta, itemque ex argilla imagines conficiendi *plasticen* dixere veteres. Ejus specimen gypseae protomes dimidia pars, sinistrum latus complexa, exhibet, Tab. IV. fig. II. expressa. Ea Romae inventa prius anaglyphum huc est secuta. Alta est pollices 8 ½, lata fere 6. - - - vetustate a vermibus hinc inde corrosa.

Philosophi iconem conspicis, recisis brevibusque capillis caput, pallio humeros tecti, prolixa spissaque barba decorati, sinistra manu, in hanc enim respicit partem, mentum subnixi; profundae quippe meditationi intentus videtur. Sapienti designando aptissimus sane hic habitus. Verum, quem ex priscis praecise referat, altioris indaginis est. Equidem, si gestus rem conficeret, dicerem *Antisthenem;* is enim mentum sic fulciens in LIPPERTINIS (*t*) ectypis deprehenditur. Et hujus quidem Cynicorum patris imagini conveniret sic satis nostra, ni haec capillata barbam haberet, ista imberbis calvitiem. Dein ipsa oris conformatio repugnat, maxime nasus in nostro depressior, in isto paulum aduncus & in ima sui parte obesior. Hoc itaque misso,

(*r*) in *Gemmis* T. I. p. 107.
(*s*) Op. cit. N.° 99.
(*t*) *Dactyl.* P. II. n. 361.

Sextum Empiricum ſiſti putamus, cujus imago inter LIPPERTINAS (*u*) noſtram iconem exprimere videtur. Amici quidam, in conſilium adhibiti, rectius vel ad *Heraclitum* (*x*) vel ad *Apollonium Tyaneum* (*y*) referendam imaginem judicarunt. Certi quid ſtatuere non licet.



MUSIVA

Marmoris fruſtula atque ſegmenta diverſi coloris, vel ſola, vel aliis etiam lapillis colore tinctis, apte ſciteque ſic jungendi peritia, ut elegantes inde imagines prodeant, *ars muſivaria* apud veteres audiit, digna Muſis pictura, muſeis exornandis frequenter adhibita. Ejus varia fuere genera, quibus vel ſolum ſternerent, unde lithoſtrota dicta, vel parietes forniceſque incruſtarent. *Quadratarium*, *teſſellatum*, *ſectile*, *vermiculatum* opus eo ſpectat (*z*). Singulorum ſpecimina muſeum noſtrum recondit.

FRAG-

(*u*) P. II. n. 389 & 390.

(*x*) Hunc habes expreſſum in *Buſti d'Ercolano* T. V. Tab. XXXI & XXXII. porro in *Imagin.* BELLORII Tab. 17. & 18. item in LIPPERTINIS P. II. n. 341 & 342.

(*y*) vid. *Dactyl.* LIPPERT. P. II. n. 388.

(*z*) v. PLINIUS L. XXXVI. c. 61-64. CIAMPINIUS in *Monum. Vet. Muſ.* Caeterum longum nimis foret, in litem de diſcrimine muſivi, teſſellati, vermiculati &c. operis hic excurrere, quae inter viros eruditos eſt exorta. BREITINGERI ſententiam, in SCHELHORNII *Amœnitatibus Litterariis* T. VII. & IX. expoſitam, ERNESTI impugnavit, ad cujus dubia reſpondit is epiſtola, quam primus publicavit SCHMIDIUS in *Antiquités d'Avenches*. cf. & FURIETTI opus de *Muſivis*, 4. Romae 1752.

FRAGMENTA
RUDIORIS OPERIS QUADRATARII ET SECTILIS

Adſunt ejuſmodi fragmina plura, quorum varia ex marmorum ſegmentis ejuſdem coloris, albi ſcilicet, ſunt coagmentata, quae ſternendo ſolo inſerviere. In his inveniuntur, quorum cubi novem lineas quavis facie habent. Alia minoris menſurae ſegmina. Omnia calci inhaerent infixa.

Huic fragmentorum claſſi grandius quoddam acceſendum eſt, altum pedem unum pollicem 1 ½, latum poll. 7. lin. 3. profundum poll. 1 ½. Fundus ex lateribus rubris contuſis calci mixtis confectus (*a*), ſpiſſus eſt pollicem 1 cum quarta parte. Reliqua pars quarta pollicis craſſitiem dat lapillorum, iſti marmorato infixorum. Sunt ita diſpoſiti, ut calicem repraeſentent. Ipſa forma ſive ora calicis ducta eſt brunis lineis, quas inter rubrae, flavae, albae occurrunt.

Eodem porro ſpectant fragmenta duo ſectilia, quorum marmoratum album e gypſo (hodie *ſtucco* vocant) conſtare videtur. Huic ſoli incruſtationi impreſſi ſunt lapilli partim marmorei, partim cocti diverſo colore conſpicui. Sunt autem haec duo fragmina, ex templi cujuſdam Transtiberini pavimento ſectili deſumta, diverſae formae, alterum rotundae, quadratae alterum . . . . Prioris, quod Tab. V. fig. IV. ſiſtit, diameter eſt 2 pollicum, 10 lin. Totum fragmentum ſex

I 2 trigo-

(*a*) fere ut apud CAYLUM in Muſivo quodam Bagacenſi, *Recueil d'Antiq.* T. II. Pl. CXXII. cf. p. 399.


trigona formant, quorum tria ſingulis ſegmentis viridi e marmore ſive Laconico conſtant, tria reliqua prioribus interjecta ex quatuor ſegmentis triangularibus conflata ſunt, quorum tria in extremis locata, album, medium bis viridem, ſemel carneum colorem oſtendit; qua ex re patet, hunc orbem aliis, ipſi quod ad formam ſimilibus, olim reſpondiſſe. Caeterum lapilli omnes, albis exceptis, guttati ſunt, ſive maculis de ininduſtria conſperſi.

Similis prorſus eſt labor, in altero fragmento, quadrato, oblongo, qui comparet. Exhibetur Tab. V. fig. III. Latum id eſt 3 poll. lin. 4, longum 4 poll. 10 lin. Area ipſa, ut dictum, ex gypſo. Eam diſtinguit triplex quadratorum ſeries. Prima ex quinque quadratis confecta eſt, extrema rubicundi coloris ſunt, medium viride, inter iſta duo interjecta ex quatuor trigonis, binis albis flaveſcentibus, binis viridibus ſibi oppoſitis concinnata. Secunda ſeries tres lapillos quadratos oſtendit, viridem majorem, minorem rubicundum, viridem minimum. Tertia in ſerie quatuor quadrata inſunt, viridia bina, ex viridibus & albis trigonis confecta bina, alternatim poſita. Jam haec tanta ſegmentorum inaequalitas aut negligentem ſatis laborem aut opus vaſtum & grande prodit & arguit, cujus aliae partes huic menſurae reſponderint.


Caeterum commodum hic erit annotaſſe, ANTONINUM ELAGABALUM Lacedaemoniis ac porphyreticis ſaxis palatii plateas ſtraviſſe, teſte LAMPRIDIO (*b*).

FRAG-

(*b*) cap. 24.




I.




II.




III.



V.



IV.



Weis sc.

FRAGMENTUM TESSELLATI PAVIMENTI EX VILLA TIBURTINA HADRIANI AUG.

Tiburtina HADRIANI villa, poſt ſecundam ejus Imperatoris in Graeciam profectionem, anno decimo ſeptimo ejus imperii exacto, perfecta, immani ſumtu atque omni luxus ornamento exſtructa, quantae admirationi olim integra fuerit, ex ejus ruderibus intelligitur, quae hodieque ſtupent, qui ad regionem inviſendam accedunt.

Ejus ambitum urbi quam villae aptiorem & miras partium, Lycei, Academiae, Prytanei, Canopi, Poeciles, Tempe (*c*) reliquias delineatas, atque deſcriptas dedere P. LIGORIUS (*d*) & FR. CONTINIUS (*e*). Artium etiam, in his ſtatuariae, muſivariae, monumenta a variis (*f*) ſunt exhibita. Eminet inter haec muſivum longe praeſtantiſſimum, PLINIO jam memoratum, quod fauſtis avibus anno hujus ſaeculi trigeſimo ſeptimo JOS. ALEX. FURIETTI, purpuratus poſtea praeſul, detexit, qui & aeri inciſum exhibet. Eximium illud Soſi Pergameni opus (*g*) ex vermiculato genere fuit. Verum & ex quadratario

I 3 teſſel-

(*c*) Ita enim & provinciarum & locorum celeberrima nomina iis inſcripſerat, teſte SPARTIANO cap. 26.

(*d*) recuſa & lat. verſa ab HAVERCAMPIO in *Theſ. Ant. Ital.* T. VIII. P. IV.

(*e*) recuſa Romae 1751. fol.

(*f*) cf. potiſſimum ANTONINI DEL RÉ *Antiq. Tiburtinae* in *Theſ. Ant. Ital.* Tom. cit. Servantur & tres tabulae muſivae, menſis inſervientes, in villa Hadriana inventae & cura *Comitis* JOSEPHI FEDE erutae, in Muſeo Antiquario Charlottenburgi. vid. VON HEINECKE *Nachrichten v. K. u. KS.* T. II. p. 83.

(*g*) Hodie Muſeum Capitolinum exornat. Aliud eſſe, quam id Soſi, a PLINIO deſcriptum, putat WINCKELMANNUS in *Mon. Ant. Ined. Tratt. Prelim.* p. XCVI.

tessellatoque frequentia ibidem sunt visa. Nostrum, cujus imaginem dat Tab. V. n. I. ad tessellatam operam pertinet & insigne pavimento decus attulisse credendum est.

Altum est fragmentum pollices 8½, latum poll. 6, resectis scilicet quae obstitissent, quo minus in tabulam potuisset compingi. Crassum est lineas 5½. Confectum est totum ex lapillis marmoreis, acido nitri enim effervescunt omnes, quadratis oblongis quinque fere lineas altis, duas & dimidiam latis, ex colore diverso, junctis ita, ut aleatoriae tabulae quadrata fere exprimant. Dimidium istorum quadratorum numerum efficiunt tesserae ex albo & nigro lapillo recto positu conflatae, quas aliae tesserae, flavi nunc & bruni, nunc rubri & carnei coloris, nunc etiam bruni & caerulei transversim locatae sejungunt ab invicem. Ita tesserae albo-nigrae dominantur & cum reliquis omnibus alternant; has per quincuncem quasi positas dixeris, serie earum oblique ascendente atque descendente.

Denique, si quaeras, quanam ratione lapilli sint juncti, paucis sic habeto. Continua tabula ex ardesia, duas fere lineas crassa, totius tessellati fundum efficit. Super illa effusum fuit gluten (*h*) ex albumine, aqua & marmoreo pulvere, forsan & adjecta resina, confectum, in quo lapilli diversicolores, tres ut plurimum lineas crassi, insistunt, quoque sunt ita ligati invicem, ut

(*h*) Quid marmoratum veteribus usitatum ab eo, quod hodie adhibent, differat, v. apud CIAMPINIUM in *Vet. Monum. Musiv.* P. I. Cap. XI. p. 86 sq. Ex isto discrimine ratio intelligitur, ob quam musiva antiqua cum hodiernis de elegantia vix concertare queant; antiquum scilicet gluten parum temporis marmorario indulgebat, citius obdurescens.

ut aegre ſejungi queant. Totius dein pavimenti partes ſingulae debito modo ſunt politae, ſplendorem, quem ſpargunt adhucdum, ut acciperent.

BACCHANTIS PROTOME VERMICULATI MUSIVI ARCHETYPUS

Bacchantis imaginem Tabula V. fig. II. exhibemus, FICORONII *Abbatis*, quem MURATORIUS (*i*) ſua aetate Romanorum antiquariorum principem appellat, dono noſtris adjectam. Ea, in calcario tinnitante lapide expreſſa, vermiculati formam mentita, pro archetypo vel protypo ejus operis eſt habenda. Alta poll. 7. lin. 3, lata pollices 5.

Caeterum Bacchica muſiva admodum priſcis fuere frequentia. Bacchica quoque ſunt, quae in Aventicenſibus offert *Cel.* SCHMIDIUS, qui in deſcribendo egregio iſto monumento recte quidem refert, a. 1751 id ruderibus eſſe purgatum & auſpiciis Bernenſis Reipublicae ab aëris intemperie ſervatum; verum id conſilio & ſumtibus *Ampliſſ.* BARTHII, apud Monaſterienſes Sculteti Regii & ſub-Praefecti Hagenoenſis, eſſe factum ignoraſſe videtur.



TABULAE PICTAE *EX THERMIS TITI DETRACTAE*

Praeter Muſivum opus, quo aedificia tam publica quam privata exornabant Romani, picturis etiam

(*i*) *Theſ. Inſcr.* T. II. p. DCLV.

etiam (*k*) & argillaceo opere (*l*) iis decus conciliabant. Utriusque documenta proferemus, Romae acquisita.

Pictae tabellae tres nobis adsunt, in *thermis Titi* a Cel. possessore olim detectae & ex fornice detractae. Ex eodem loco olim prodierant, quae maximi aestimatae sunt, tum praesertim quum praeter Aldobrandinas, ut vocantur, nuptias aliasque tabulas in aedificiis nonnullis Romanis, hypogaeis & sepulcris quibusdam inventas nihil fere ex hoc genere notum esset, priusquam ex abditis Herculanei visceribus protraherentur, quibus Porticum Herculis exornaret UTRIUSQUE SICILIAE REX, cujus munificentia etiam ista monumenta, Regio splendore edita, in SCHOEPFLINI librarium thesaurum sunt illata.

Praestantissima Titi thermarum pictura illa fuit, quae balneorum interiorem structuram patefecit (*m*). Ibidemque hodie Coriolanus vulgo creditus visitur (*n*). Udo tectorio olim ista fuerant illita; udo & hae nostrae, quarum prima alta pollices 4. lin. 2, lata poll. 4. lin. 5, in area nigra praedium albo colore tinctum exhibet, in cujus extremo aediculam videre licet ex tigillis decussatim concinnatis confectam, Herculanensibus quibusdam (*o*) & aediculae pavimento Praenestino (*p*) innexae similem. Repraesentatur Tab. V. fig. IV. . . . Secunda, ibidem fig. III. expressa radio, lata

(*k*) PLIN. *Hist. Nat.* L. XXXV. c. I. WINCKELMANN *Gesch. der Kunst* p. 264 sq.

(*l*) PLIN. l. c. cap. XLIII. WINCKELMANN l. c. p. 11 & 12.

(*m*) MAFFEI *Raccolta di statue* Tab. VII.

(*n*) WINCKELM. l. c. p. 265.

(*o*) T. I. p. 253. 263. T. II. p. 87. cf. p. 131.

(*p*) Aeri incisum saepius id monu-

lata pollices 4, alta 5, hircum ſiſtit & capellam exſultantes, nigro colore areae albae illitos. Geminam tabulam Herculanenſes (*q*) offerunt . . . Tertia, lata poll. 2. lin. 11, alta poll. 3. lin. 7, aviculam continet arboris ramo inſidentem, cujus generis minutas tabellas praeſtantiſſimo operi inſerere Neapolitani Academici haud ſunt dedignati (*r*).

Non deerunt, qui minutias nos ſectari & muſcas captare dicant, detritas fere figuras ambitioſe enarrantes, eaſque exiguae molis. Verum apud aequos rerum arbitros facile nos excuſabit rei noſtris in oris rariſſimae pretium. Mirum ſane eſt, picturas ante ſeptendecim ſecula confectas uſurpare oculis, eaſque ſic ſatis ad artis leges adaptatas. Pallor colorum ex admiſſo aëre, minuta moles ex uſu antiquo rhyparographias, megalographiae oppoſito (*s*), intelligitur. Scilicet parietes & fornices frequenter priſci in quadrata vel alia ſegmina dividebant, lineis aut frondibus ſejuncta, quas inter deinceps varias animantium, plantarum aliarumque obviarum rerum imagines mox udo, mox ſicco, tectorio illitas pingebant, cujus rei exempla BELLORIUS (*t*) aliique & *Herculanenſes* (*u*) ſubminiſtrant, & oculatus teſtis nobis amicus in detectis Pompejanae urbis ruderibus ipſe animadvertit.

K Rarita-

mentum eſt KIRCHERI potiſſimum, CIAMPINII & *Cardinalis* BARBERINI cura. SCHOEPFLINUS id quum coram intueretur, ſuis coloribus pingi tabulam, quae id ſiſtit, curavit, quae in ipſius Bibliotheca ſervatur. Vid. & MONTEFALCONIUS *Ant. Expl.* T. IV. *Suppl.* Pl. LVII.

(*q*) T. II. p. 15 & 195.

(*r*) T. I. p. 243. II. 49. 153. III. 3. 63.

(*s*) cf. PLIN. l. c. cap. XXXVII.

(*t*) in libro cui titulus: *Le Pitture antiche* &c.

(*u*) paſſim, ut T. II. p. 299 & 303. cf. BAYARDI *Catalogo* . . p. 77 ſq.

Raritatem de caetero Italorum vigilantia auget, qua Pontificis Romani Regisque Neapolitani jussu, ne quid istorum monumentorum transferri ad exteros possit, cautum est. Unde & JOS. GUERRAE fraus cito est detecta (x).

AEDIFICII IMAGO

ARGILLACEO OPERE EXPRESSA.

Hoc fragmentum, ex argilla paratum, Romane sit allatum, an aliunde, ignoramus. Latum est pollices 4, altum 6. . . . Repraesentatur Tab. V. fig. V.

Decorabat & argillaceum opus, ad plasticen referendum, apud Romanos aedificiorum maxime zophoros, simulque ponendis ob oculos architecturae prototypis inserviebat (y). Nonnunquam id encausto pingebant (z). Colores nostro absque hac, imo ulla, arte sunt additi.

Videtur autem cujusdam aedificii formam exhibuisse, cujus inferior pars arcuum satis arctorum ordinem habuerit, pilis suffultorum. Superior pars atticurgis figuram refert, striatis columnis ornati, quas inter statuae erant

(x) V. WINCKELMANN in *Sendschreiben über die Herculanische Entdeckungen.*

(y) WINCKELMANN *Gesch. der Kunst* p. 11. 12.

(z) PLINIUS *Hist. Nat.* L. XXXVI. c. 64.

erant locatae. Reſtat in fragmine noſtro arcus quidam medius inde a pilarum capitibus cum duorum vicinorum dimidia parte; itemque atticurgis columna una ſtriata & ſtans erecta in baſi ſtatua viri nudi, dextra palmam geſtantis, ad victoriam aliquam proinde referendi. Hujus capiti imminere ſertum videtur, quod coronae atticurgis, ni fallor, ſuppoſitum erat. Ex altera parte columnae reſiduae ſub ſerto dependente icon alia ſtetiſſe videtur.

Suadet & victoris ſtatua, & tota ſtructurae ratio, Romani ſequiorum ſaeculorum plaſtae opus fuiſſe. Simili fere modo triumphalis Audomari arcus conſtructus erat, quem CAYLUS (*a*) exhibet, niſi quod in hoc atticurges abſque columnarum aliquo ordine procurrit. Intervallum pilarum aliud, quam in noſtro, quod ſyſtylon opus omnino fuit. Idem Ill. auctor alibi (*b*) geminum noſtro aedificii cujuſdam ex argilla archetypum aeri inciſum offert. Viſuntur in eo pilae ſtriatae duae & inter iſtas columna Corinthii ordinis itidem ſtriata, baſi impoſita. Suſtinetur pilis his & columna trabeatio tota, in ſuas partes, epiſtylium, zophorum & coronidem diſtincta, ſupra quam atticurges comparet, non tamen ad inſtar noſtri ſtatuis ornatum.

(*a*) *Recueil d'Antiq.* T. III. Pl. CXIV. 1.

(*b*) Ibid. T. IV. Pl. LXXIX.



INSCRIPTIONES

TITULUS VOTIVUS ATTILIAE HELENAE.



De ſuo poſuit aram ſacram Diis
Attilia Lucii liberta Helena.

Abbatis FICORONII dono muſeum noſtrum titulum hunc debet, in villa nobilium MORONIAE gentis ad viam Appiam prope portam Capenam a. 1709 inventum. » Semipedalis eſt, rhomboïdis forma ex marmore vio- » laceo ſculptus " altus pollices 5, latus 3, —— » litte- » ris minio vel rubro tinctis " quae forma fere conveniunt cum iis, quas in diplomatibus honeſtae miſſionis

miſſionis ſaeculi I. offendimus (c). » Legi poſſet & hoc » modo : *De ſua pecunia* (ſcil. poſuit) *aram ſine dolo* » *Attilia L. L. Helena*, ſed planior fere prior ſententia, » ſiglis dicto ſenſu & alibi occurrentibus (d). "

Attiliae (e) nomen gentile ab hero accepit *Helena*, quae hic aram de ſuo Diis poſuiſſe memoratur. Caeterum, fueritne *Attilia* gens diverſa ab *Atillia* (f), quod quidem viſum MURATORIO (g), quaeri poſſet ; *Atilliam* autem cum *Atilia* (h) eandem fuiſſe, nullus ambigo. Solemnis iſta litterae duplicatio apud veteres. Ita Petilia gens dicta & Petillia (i), Sulla & Sula (k), Sardanapallus & Sardanapalus (l).

EPITAPHIA

P. TITII FINITI.

Titulus hic anaglyphi forma ſemi-extantibus litteris exaratus inferiorem partem marmoris nigricantis, in Pannonia inventi & Poſonio ad poſſeſſorem muſei tranſmiſſi, conſtituit. Altum id eſt poll. 8½ latum 6½ & in *Alſat. Ill.* T. I. p. 607. ligno exciſum repraeſentatur, hic repetitum.

 Supe-

(c) apud MAFFEJ. in *Muſ. Veron.* p. XCVII. Item in *Muſeo Herculanenſi* Tom. V. *Prefaz.* pag. XXXIX ſq.

(d) v. *Alſ. Ill.* Tom. I. p. 605.

(e) Praeter GRUT. etiam apud MURATOR. ita effertur hinc inde, ut Tom. II. pag. DCCCXIV. 6. & MCXXXV. 17.

(f) v. MURATOR. Tom. II. p. DCLXXVII. 4.

(g) v. T. II. p. MCXXXV. 17.

(h) Haec ſi revera diverſa fuit gens, reliquis longe numeroſior fuit. v. *Index* GRUTERI cap. 23.

(i) v. EMMENESSIUS ad VIRGIL. *Aen.* L. III. v. 402.

(k) v. SPANHEMIUS de *Praeſt & Uſu NN.* T. I. p. 122.

(l) apud WINCKELM. in *Mon. Ant. Ined.* N. 163.








PTITIVS
FINITVS
V·FSIBET
IVCVNDAECIVIS
FIL· CON
AN · XL

Superior marmoris noſtri pars itidem prominenti opere virum & conjugem ad ejus dextram ſtantes, & ante ipſos puerulum filium manibus junctis & ſublatis precantem ſiſtit, ad umbilicum omnes expreſſos. Subjecta epigraphe inter columnas duas cochlides ordinis Corinthii locata viſitur, quae trabeationem ſuſtinent, in cujus zophoro quatuor canes, bini adverſi, bini pergentes eodem, deprehenduntur.

Senſus iſte:

Publius Titius Finitus vivus fecit ſibi & Jucundae Civis filiae, conjugi annorum XL.

» Simile monumentum dudum Vindobonae in Coe» miterio S. Stephani extabat, & teſte FRANCISCO A » SCHEYB (*m*) hodieque extat, cujus epigraphen no» ſtrae gemellam exhibuere APIANUS (*n*), GRUTERUS (*o*), » KEYSLERUS (*p*). Imagines deſcripſit quoque GRU» TERUS, cujus errores emendatos a FRANC. A SCHEYB » exhibet *Alſ. Ill.* (*q*).

» Diſplicebat in marmore noſtro poſſeſſori Cel. quod » puerulus junctas tolleret in coelum manus." Mihi minus etiam arridet, quod uxor caput pileo contexiſſe videtur. Utrumque parum eſt ex uſu priſco. » Proſtant » ſane & alia monumenta noſtro ſimilia, in quibus iſta » haud deprehenduntur, & quidem in ara lapidea » agri Auguſtani (*r*) & vitris antiquis (*s*).

Caete-

(*m*) v. *Alſ. Ill.* T. I p. 608.
(*n*) *Inſcr.* p. CCCCII. & ſq.
(*o*) *Inſcr.* p. DCCCXXXIV. 6.
(*p*) in *Itinerario* art. *Vindobona.*
(*q*) *l. c.*
(*r*) v. VELSERI Opera p. 411.
(*s*) v. PHIL. BUONAROTA *Oſſervazioni ſopra alcuni frammenti di vetro* Tab. XXIII. XXV. & pag. 160. ſq.

» Caeterum *Titia* gens ſat nota. *Titius Finitus* alibi » ignotus. *Finitos* exhibet APIANUS (*t*).

» *Jucunda* obvia (*u*). *Civis* viri nomen non prorſus e lapidibus aliis exulat (*x*). *Vivos ſibi ſuiſque feciſſe* veteres monumenta & titulos, GRUTERUS & » qui eum ſupplevere docent (*y*)." Litteram I producto elemento B praecedenti innexam in noſtro titulo contemplari licet. Eum morem litteras junctim exprimendi ſpatii anguſtia in nummis produxit, unde in alia monumenta tranſiit (*z*), parce tamen adhibitus per plura ſaecula, donec modum omnem excederent lapidarii, cujus rei ſpecimina dat MAFFEJUS (*a*).

HELIOPAE.

Marmor hoc, quod ipſe poſſeſſor a. 1727 Romae in hortis Juſtinianeis detexit, quadratum eſt, ſupra frontiſpicio quaſi triangulari ornatum, in quo aries inter piſces duo ſtans occurrit.

Latum eſt pollices $6\frac{1}{2}$, altum ab utroque latere 8, in medio 11.

Repraeſentatur, ut hic, ligno exſculptum etiam in *Alſ. Ill.* Tom. I. pag. 601.

Verba

(*t*) *Inſcr.* p. CCCXC. & CD.


(*u*) v. GRUT. p. CCCXLIX. 7. CMI. 10. &c.

(*x*) v. Id. p. DCCCLXXIX. 10. CMLXXXV. 5.

(*y*) GRUT. p. MCCLV. &c. REINES. p. 747. 766. &c. cf. & MAFFEJ. *Muſ. Veron.* p. CXLIII. 4.

(*z*) Exempla dedit *Lapidarium* noſtrum Tab. I. n. II. & Tab. II. n. II.

(*a*) *Muſ. Veron.* p. CXLVII.



ΕΝΘΑΔΕΚΕΙΜΕΒΡΕΦΟΣ
ΚΟΙΝΟΥΒΙΟΤΟΙΟΑΜΟΙ
ΡΟΣ· ΗΔΙΣΤΟΥΠΑΤΕΡΟΣ
ΚΑΙΜΗΤΕΡΟΣΕΥΜΟΡΦΙΗΣ·
ΠΡΩΤΟΤΟΚΟΝΔΙΕΤΕΣ·ΘΕΩ
ΜΕΜΕΛΗΜΕΝΟΝΗΔΥ· ΗΛΙ
ΟΠΑΙΣΛΥΠΩΝΓΛΥΚΕΡΟΥΣ
ΧΡΗΣΤΟΥΣΤΕΤΟΚΗΑΣ
Θ Ο·Τ Κ Ν·

Verba ſic legenda :

Ἐνθάδε κεῖμε βρέφος κοινοῦ βιότοιο ἄμοιρος,
ἡδίστου πατέρος καὶ μητέρος εὐμορφίης
πρωτότοκον διετές· Θεῷ μεμελημένον ἡδύ,
Ἡλιόπαις, λυπῶν γλυκεροὺς χρηστοὺςτε τοκῆας.

Θ O. T K N.

Senſus iſte :

Communis vitae exſors hic ſum conditus infans,
prima patris pulchraeque matris gratiſſima proles,
bimula, ſuavis cura Dei, Heliopaes, properata
dulces atque bonos contriſtans morte parentes.

Titulus, elegantibus & quadratis litteris expreſſus, Heliopae bienni puero poſitus. Id infantis nomen *ſolis filium* deſignat. Sic alii Phoebi, Phoebiani, Apollinares (*b*) dicti leguntur. Simili dicendi forma occurrit alibi *Chryſopaes* (*c*), item *Parthenopaeus* (*d*), *Aſteropaeus* (*e*) & *Aſterope* (*f*).

Epitaphium ipſum tenue ingenium Poëtae, at tenerrimum affectum prodit. Stilus Jonicam dialectum redolet; quo ſpectant βιότοιο, εὐμορφίης, τοκῆας. Κεῖμε non mihi pro κείμενόν ἐστι poſitum videtur, ſed pro κεῖμαι, quod & latine expreſſi. Eo-

L

dem

(*b*) apud GRUTER. MURATOR. alios paſſim.

(*c*) locis in *Alſ. Ill.* cit.

(*d*) v. MAFFEJ. in *Inſcr.* adjectis *Muſeo Veron.* p. CCCIII. 7. REINES. *Synt. Inſcr.* p. 878.

(*e*) MAFFEJ. l. c.

(*f*) MURATOR. Tom. III. p. MCCLXXVII. 4.

dem modo id legitur apud MAFFEJUM (*g*) in titulo, cui cum noſtro conveniunt plurima. Similem fere & FABRETTUS (*h*) habet. Αμοιρος male pro ἄμοιρον. Λυπων non reddidi *relinquens*, ſed *contriſtans*, a λυπέω.

» Siglae ultimam lineam implentes numerales eſſe » nequeunt." Incerta & HAGENBUCHII (*i*) interpretatio, qui » ΘεΟυ ΤεΚνοΝ hariolatus eſt, ſive *Dei fi-» lium*, quae laus ſacri fontis, quo ſit ablutus pueru-» lus, memoriam exprimere credi poſſet." Non ſuccurrit tamen quicquam ſubſtituendum, quod majorem prae ſe ſpeciem ferat.

CRESCENTINAE.

Et hoc marmor FICORONIUS *Abbas* a. 1727 SCHOEPFLINO noſtro obtulit, paulo ante ad viam Appiam prope Capenam portam erutum.

» Oblongum eſt, latitudine 1. ped. 8. poll. alti-» tudine poll. 8. complexum." Repraeſentatur in ligno exaratum in *Alſ. Ill.* Tom. I. p. 60. unde & huc translatum vides.

Σώφρονα

(*g*) l. c. p. CCCXV. 4. Verſio Latina adjecta temere mediam vocis *Synopen* corripit.

(*h*) *Inſcr.* p. 193. 194.

(*i*) v. *Alſ. Ill.* l. c.

Σώφρονα Κρεσκέντειναν ἔχων τάφος ἐνθάδε κεύθω,
  Τὴν πάσης ἀρετῆς κῦδος ἐνεικαμένην·
Ἥτις ἐνὶ ζώοισιν ὅκως ἀνέτελλεν ἑῷος,
  Νῦν δύνει δ' ὑπὸ γῆν ἕσπερος ἐν φθιμένοις.

Cl. HAGENBUCHIUS ita vertit :

ad pag. 75.

ϹѠΦΡΟΝΑΚΡΗϹΚΕΝΤΕΙΝΑΝΕΧѠΝΤΑΦΟϹΕΝΘΑΔΕΚΕΥΘѠ
ΤΗΝΠΑϹΗϹΑΡΕΤΗϹΚΥΔΟϹΕΝΕΝΚΑΜΕΝΗΝ
ΗΤΙϹΕΝΙΖѠΟΙϹΙΝΟΚѠϹΑΝΕΤΕΛΛΕΝΕѠΟϹ
ΝΥΝΔΥΝΕΙΔΥΠΟΙΤΗΝΕϹΠΕΡΟϹΕΝΦΘΙΜΕΝΟΙϹ

Σώφρονα Κρεσκέντειναν ἔχων τάφος ἐνθάδε κεύθω,
 Τὴν πάσης ἀρετῆς κῦδος ἐνεικαμένην·
Ἥτις ἐνὶ ζώοισιν ὅκως ἀνέτελλεν ἑῶος,
 Νῦν δύνει δ' ὑπὸ γῆν ἕσπερος ἐν φθιμένοις.

Cl. HAGENBUCHIUS ita vertit:

Heic Crescentinam tumulus recondo modestam,
 Laudem virtutis quae tulit omnimodae:
Non magis in vivis illuxit Lucifer, ac nunc
 Occidit infernis Hesperus ipsa locis.

Suasit litterarum forma & nominum indoles, ut hoc marmor priori postponeremus. Illud enim Heliopae genuinum Graecum & antiquius videri posset, quippe in quo » nomina tota sunt Graeca, & literae » Σ, Ε & Ω quadratae regnant, quales ante Augusti » aevum ostendere monumenta solent (*k*).

Contra in praesenti titulo praeter *Crescentinae* nomen Latinum, in lapidibus frequenter obvium (*l*), lunati characteres C Є & Ѡ, in toto marmore adhibiti, Romanam manum produnt, saltem Imperii Romani aevum. Occurrunt quidem postremis ante Augusti aetatem saeculis in Graecia jam usitati, cujus rei in monumentis Amyclanis (*m*), in vase eleganti aeneo, Mithri-

L 2

(*k*) v. MONTFAUCON *Palaeographia Graeca* Praef. p. VI. & L. II. Cap. VI. p. 152 sq. cf. *Tabulae Heracleenses* cum Commentar. MAZOCHII, & CHISHULL in *Antiquit. Asiaticis Christianam aeram antecedentibus* p. 21.

(*l*) v. REINES. *Inscr.* p. 104. MURATOR. T. II. p. MCCXIX. 8. T. III. p. MCDIII. 1. &c.

(*m*) Ea exhibet FOURMONTIUS in *Memoires de l'Academie des B. L.* T. XV. & XVI. cf. & *Nouveau Traité de Diplomatique* T. I. P. II. p. 632.

Mithridatis Eupatoris Ponti Regis dono (*n*), in gemmis variis (*o*) & in nummis Gentii (*p*), Polemonis (*q*) &c. documenta extant, MONTEFALCONIO (*r*) nondum viſa. Verum iſtis temporibus ſtatim rarius comparent, dein nunc minutis nunc majuſculis quadratis immixti, nunquam fere ſoli in oratione prolixa viſuntur, demum circa Romani imperii primordia in perpetuam grandiorem ſcripturam frequenter traducti. Hoc certatim lapides probant.

Proximo aerae Chriſtianorum aevo proinde, ni ipſi primo ſaeculo, vindicanda ſunt monumenta quaedam, in Regio opere Herculanenſium Antiquitatum obvia. Eandem ſcilicet litterarum formam cum noſtro marmore ſequuntur Muſarum Herculanenſium, eximia arte pictarum, epigraphae (*s*), qualis ΚΛЄΙω ΙCΤΟΡΙΑΝ &c. (*t*). Porro verſus Euripidis Herculanenſi parieti illitus (*u*). Ad idem abſque dubio referenda in WINCKELMANNI *Ineditis* Muſivum, quod Chilonem Spartanum

(*n*) Id is Gymnaſio cuidam obtulerat, quod epigraphe docet. Repraeſentatur apud POCOCKE in *Deſcription of the Eaſt* Vol. II. Pl. XCII. p. 207. Verba inſculpta rectius expoſuit peculiari Diff. ED. CORSINIUS, quam *Cl.* GORIUS *Symbolis litterariis* inſeruit. Emendatiora etiam exhibet WINCKELMANNUS in *Geſch. der Kunſt* II. Th. p. 368. & in *Mon. Ant. Ined. Tratt. Prelim.* p. LXXXIV. Muſeo Capitolino craterem memoratum eſſe illatum *Benedicti XIV.* cura, teſtatur PACIAUDI in *Monum. Peloponn.* Tom. II. p. 260.

(*o*) v. DE STOSCH *gemmae caelatae antiquae ſcalptorum nominibus inſignitae.*

(*p*) FROELICHII *Vet. Regum numiſmata anecdota* p. 45.

(*q*) v. VAILLANT in *Achaemenidarum imperio.*

(*r*) cf. PACIAUDI l. c.

(*s*) v. *le Pitture d'Ercolano* T. II. Tab. II - IX.

(*t*) hanc in fronte hujus marmorarii exhibuimus.

(*u*) v. *le Pitture d'Ercolano* T. II. pag. 34.

tanum ſapientem, adſcripto ſymbolo ΓΝѠΘΙ CAΥΤΟΝ exhibet (*x*), nomen Poetae Euripidis anaglypho ejus (*y*), item nomen CAΡΔΑΝΑΠΑΛΛΟC ſtatuae cuidam ſubjectum (*z*). De muſivi Praeneſtini, in quo ſimiles litterae occurrunt, aetate ſub judice lis eſt (*a*). Sed iſta de litteris. Redeamus in viam. Stilum quod ſpectat, in ritum grammaticum impingit vox ενενκαμενην, quae ν ante κ vertere in γ debebat. ζωοισιν Jonico more dicitur, item ὀκως pro ὀπως.

Laus ipſa *Creſcentinae* & comparatio vitae mortisque ejus cum Veneris ſtella, lucifera atque heſpera, elegantis ingenii partus eſt. » Similes noſtro metricos ti-» tulos ex *Anthologia Graeca* & aliunde excitavit *Alſ. Ill.* (*b*).

M. SEMPRONII CELERIS.

M. SEMPRONIVS. M. F. COL
CELER. AQVILLIFER
LEGIONIS. X. FRETENSIS
DOMO. PESSENVNTO
MILITAVIT. ANNIS. XX
VIXIT ANNIS XXXX.

Mar-

(*x*) N.° 165.

(*y*) N.° 168.

(*z*) N.° 163.

(*a*) BARTHELEMIO, qui ad Hadriani aevum depreſſit, adſtipulatur PACIAUDI l. c. p. 256. WINCKELMANNUS contra Menelaï iter in Aegyptum Helena comite ſuſceptum in iſto ſiſti conjicit, & PLINII fidem vindicat. v. *Mon. Ant. Ined.* p. 215.

(*b*) l. c.

Marcus Sempronius M. filius Collina (tribu) *Celer, Aquillifer Legionis X. Fretensis, Domo Pessenunto, Militavit annis XX. vixit annis XXXX.*

Marmor Romae ante Portam Pincianam detectum a. 1726, altum pollices 5 ½ latum 11.

» *Sempronia* gens late patuit, in plures familias » dispersa. *Celeris* cognomen diversis gentibus tributum." *Sempronius Celer* praeter nostrum, in unico lapide forsan apud MURATORIUM (*c*); etenim vitium inesse putarim. » Patria Sempronii Pessinus fuit, Phry» giae illustre emporium, unde Magna Mater Idaea » Romam olim traducta. In marmore nostro duplici » vitio *Pessenunto* pro Pessinunte scribitur. Rectius in » alio apud MURATORIUM (*d*). Romam translatus Sem» pronius *Collinae* tribui, quae inter urbanas fuit, ad» scriptus est." Solet ea tribus mentio in lapidibus ante cognomen fieri, quod quidem adeo solemne fuit & consuetum, ut ea ex ratione spurium nonnullis visum sit PROPERTII Poëtae monumentum, quod is ordo nominis tribus & cognominis in eo sit turbatus (*e*).

» *Legio X. Fretensis*, forsan a freto Siculo, ex cujus » ora lecta fuit, sic dicta in aliis etiam lapidibus oc„ currit (*f*). Corrupte sequiori aevo *Fortensis* nun„ cupata videtur (*g*). An diversa fuerit a *Legione X.* „ *Gemina* (*h*), disputatum quondam. Potior videtur „ eorum

(*c*) *Inscr.* Tom. II. p. MCCXIII. 6.

(*d*) Ibid. p. DCCCXLVII. 7.

(*e*) MONTFAUCON *Antiq. Expl.* T. III. Suppl. Pl. V. b.

(*f*) MURATOR. T. II. p. DCCXXX. 1. DCCXXXV. 4. MXIX. 4.

(*g*) GRUTER. p. DXXVIII. cf. AMMIAN. MARCELLIN. L. XVIII. c. IX. & REINESIUS in *Synt. Inscr.* p. 521.

(*h*) MURAT. T. II. p. DCCXXXVI. 7. DCCCXXI. 6. DCCCXXIII. 5. MCX. 5.

„ eorum ſententia, qui diſcrimen inter eas interceſſiſſe „ exiſtimant (*i*). Saltem in eadem columella GRU- „ TERI utraque *X Fretenſis* & *Gemina* diſtinɛte poſita „ occurrit (*k*). Quicquid ſit, Fretenſis X. Legionis „ aquilam noſter geſſit, inde aquilifer vel per erro- „ rem *aquillifer* ſalutatus." Eo officio functi & in aliis lapidibus memorantur (*l*), & in columnis Trajana & Antonina repraeſentantur. Alia dabit *Alſ. Ill.* Tom. I. p. 604.

Q. GAVII ARMONII LOCATORIS SCAENICORUM.

Q·GAVIVS·ARMONIVS
LOC·SCAENICORVM
VIXIT·ANNIS·XXIIII·M·VI

Quintus Gavius Armonius, Locator Scaenicorum. Vixit annis XXIIII. menſibus VI.

Marmor

(*i*) v. BREITINGERI *Comment. in Antiq. Monum. Tigurina*, in SCHELHORNII *Amœnitat. Litterar.* Tom. VII. p. 40. &, qui eum refellit, BIMARDUS in *Diſſ.* IIda. praemiſſa MURATORII *Theſ. Inſcr.* Cap. V. p. 92.

(*k*) p. DXIII. 3.

(*l*) v. GRUT. p. DLX. 1. DCLI. 3.

Marmor altum pollices 5 ½, latum 9. Donum FICORONII *Abbatis.* „ Scilicet, quum inter antiquam „ Capenam & hodiernam S. Sebaſtiani portam, teme- „ re enim idem locus utrique aſſignatur (*m*), in laevo „ latere Appiae viae modicus clivus auſpiciis *Eminen-* „ *tiſſ. Cardinalis de* POLIGNAC a. 1727. perrumperetur, „ detectum eſt columbarium ſive ſepulcrale conditorium, „ titulos permultos praeferens, abſidibus ſuis affixos. „ Eos juſſu Eminentiſſ. Viri FICORONIUS examinavit, „ noſtrumque amico permiſit. Acceſſerat autem eo- „ dem inviſendi ſtudio adductus *Eminentiſſ. Princeps* „ JOSEPHUS RENATUS IMPERIALIS, *Rom. Eccl. Cardi-* „ *nalis*, cui a bibliotheca qui tum erat, DOMINICUS „ GEORGIUS, commentario deinceps monumentum illu- „ ſtrare eſt aggreſſus (*n*).

Monumentum ipſum praeter GEORGIUM publici juris fecit & MURATORIUS (*o*). *Gavia* gens Imperatorum aevo per omnem Italiam diffuſa fuit; Veronae potiſſimum celebris, ubi arcum magnifice ſtructum hodieque habet (*p*). In Etruriae quoque urbibus frequentiſſima fuit, quod permulta GORII (*q*) marmora docent. *Armonii* ſ. *Harmonii* cognomen rarum. Alias gentis nomen fuiſſe videtur; ſaltem *Harmoniam* & *Armonios* GRUTERUS (*r*) habet.

Sceni-

(*m*) cf. DOMIN. GEORGIUS in Explanatione hujus Marmoris p. 30. & FABRETTI *Diſſ. de Aquaeductib.* n. 43 ſq.

(*n*) v. GEORGIUS ipſe *Diſſ.* cit. p. 4.

(*o*) T. II. p. DCLX. 2.

(*p*) Repraeſentatur apud MAFFEJUM in *Muſ. Veron.* p. CXCV.

(*q*) *Inſcr. Hetruriae* T. I. p. 448. T. II. p. 372. 410. 412.

(*r*) p. DCCCLXI. 6. CCCLXV. 1.

Scenicum officium geſſit noſter. Occurrunt alibi *Scenici artifices* (*s*); item *Scaenicorum* (ita enim lapides contra analogiam) *procurator* (*t*). Armonius *locator Scaenicorum* dicitur. Temere hic FICORONIUS alius marmoris exemplo *Jocatorem* legendum ſuadet; quod MURATORIUS (*u*) memoriae prodidit: verum aperte in noſtro, ut vides, *Locator* comparet, manifeſto etiam ſenſu. Ut enim *locator hiſtrionum* eſt apud GRUTERUM (*x*), ut porro alibi *locator funeris* (*y*), *operis doliaris* (*z*) &c. ſic *locator ſcaenicorum* in noſtro. » Eſt » autem is, qui conſtituta mercede cum ludorum edi» tore corpus hiſtrionum pro ludis faciundis locabat, » item qui alia ad theatri uſum pertinentia. Eodem » ſenſu apud GORIUM (*a*) *Scenarius Redemptor* ſaluta» tur;" & in lapide e theatri Capuani ruinis olim eruto, ut SCHOEPFLINI ſchedae docent:

LVCCEIVS PECULIARIS REDEMPTOR PROSCENI
EX BISO FECIT

Alia dabit *Alſ. Ill.* T. I. p. 602 ſq. plura GEORGIUS.

M *Q. AN-*

(*s*) GRUTER. p. CCCXXXI. 6. cf. CICERO pro *Archia Poëta.* cap. 5.
(*t*) MURATOR. T. II. p. CMIV. 9.
(*u*) T. II. p. DCLX. 2.
(*x*) p. MXXIV. 5.
(*y*) PLIN. *Hiſt. nat.* L. VII. c. LIII.
(*z*) MURATOR. T. I p. CCCXXV. 6.
(*a*) *Inſcr. Hetrur.* T. I. p. 391.

Q. ANTONII BASSI.

D. M.
Q. ANTONIVS. BASSVS
FEC. C. DO MIO
COGI TATO
AVONCVLO. SVO. B. M
VIX. AN. LVIII.

Diis Manibus. Q. Antonius Baſſus fecit (titulum hunc ſepulcralem) *C. Domio Cogitato avonculo ſuo bene merenti. Vixit annos LVIII.*

„ Urnulae

„ Urnulae marmoreae ſimplici & quadratae, cu-
„ jus latera pedis unius fuere ſingula, oſſiculis & ci-
„ neribus plenae, Romae circa annum 1720 repertae,
„ hoc marmor, ferali titulo inſcriptum, excavatum &
„ perforatum in medio, operculi vicem praeſtabat."
Altum pollices 9½, latum 10½. Repraeſ. ligno, ut hic, exculpta epigraphe in *Alſ. Ill.* T. I. p. 603. & in Diſſertatione SCHOEPFLINI (*b*) de *Apotheoſi Impp. Rom.* Tab. III.

Diis Manibus ſacratum ex more monumentum.

Baſſum plurimarum gentium reperiri cognomen, docet *Alſ. Ill.* (*c*); in *Antonia* deprehendi negat. Ad utrumque eſt, quod moneam. Recenſitis ibi gentibus ex MURATORIO licet *Arniam*, *Magiam*, *Plaetoriam*, *Sextiam* adjicere. In *Antonia* omnino occurrit apud MAFFEJUM (*d*) *L. Antonius Baſſus*, *M. Antonius Baſſus* apud MURATORIUM (*e*).

Domiae gentis nulla uſquam veſtigia. *Cogitatos* marmora habent (*f*). *Avonculus* pro avunculo legitur & alibi (*g*).

Operculum urnae excavatum & perforatum videre, non eſt, quod mireris. Frequens id obſervatur (*h*). In SCHOEPFLINI quoque *ſchedis* lapidem reperio ſimilem anno 1726 Romae detectum extra Portam Pincianam. Is ita habet:

M 2 „ Quaeri-

(*b*) Inſerta eſt & *Commentationibus* Ejus *Hiſtoricis & Criticis*, quae prodiere Baſileae a. 1741.

(*c*) l. c.

(*d*) *Muſ. Veron.* p. CCCLXXI. 7.

(*e*) T. II. p. DCCLXXXII. 2.

(*f*) GRUTER. p. DXXXVII. 9. DCLXXVIII. 2.

(*g*) v. MURATOR. T. II. p. DLXXI. 4. DCIII. 2.

(*h*) v. MAFFEJ. *Muſ. Veron.* p. CCLXX. 6. 8. MURATOR. T. II. p. CMXXX. 5. &c.



* forſan COELII

„ Quaeritur, cui bono foramen? Parentalibus an-
„ niverſariis delectandae mortuorum animae oſſibus
„ & cineribus infundebant vina, unguenta, lac &c.
„ huc ſpectare putarim illud apud GRUTERUM (*i*):

OSSIBVS INFVNDAM QVAE NVNQVAM VINA BIBISTI.

Lacrymas etiam inſtillaſſe parentes & cognatos fidem faciunt lapides duo REINESII (*k*), Graecus alter, alter Romanus, ambo elegantiſſimi & prorſus eximii. Lacrymis certe ſuorum cineres miſcuiſſe veteres demonſtrare videtur anaglyphum WINCKELMANNI (*l*). In eo repraeſentatur Andromacha, Hectoris uxor,

quae legit in moeſtos oſſa peruſta ſinus,

ut de Alcmena TIBULLUS (*m*) ait. Urnam enim mariti in gremio tenet, capite inclinato.

T. FL.

(*i*) p. CMXLVIII. 10. cf. MURATOR. Tom. II. p. DCXXI. 2.

(*k*) *Synt. Inſcr.* p. 1030. cf. FABRETTUS *Inſcr.* p. 69.

(*l*) in *Mon. Ant. Ined.* n. 137. & 138.

(*m*) L. I. el. 3. v. 6.

ad pag. 85.

D · M
T · FL · ANTONINO · NEP ·
FL · ANTONINI · P · P · FONT
LITTER · GRAEC · ET · LA
TINIS · QVI · VIX · ANN · XVIIII
M · II · D · XXII · PARENT · INFELIC ·

T. FL. ANTONINI.

Erutum marmor Neapoli a. 1727. in manus FRANC. ALFANII, viri antiquarum litterarum periti, pervenerat, cujus dono mox noſtris eſt adjectum. » Oſtenſum pau- » lo poſt GORIO, ab hoc (*n*) & MURATORIO (*o*) de- » inceps eſt editum prius, quam *Ill. Alſatiae* (*p*) in- » ſertum. Latum eſt ped. 1. poll. 1, altum poll. 10. Litterae graciles ſunt, oblongae, majuſculae. Senſus hic:

Diis Manibus. Tito Flavio Antonino, Nepoti Flavii Antonini praepoſiti fontium, litteris Graecis & Latinis (docto) *qui vixit annos XVIIII. menſes II. dies XXII. parentes infeliciſſimi* (poſuerunt.)

» *Flaviae* genti *Antoniniana* familia hic primum ad- » ſcribitur. Juvenis Titus Flavio Antonino avo uſus » dicitur. Hic *Praepoſiti Fontium* munus geſſiſſe. Te- » mere MURATORIUS τῷ FONT. ſubſtituendum cenſuit » PONT. ut perpetuum pontificem exſculperet;" repugnante lapide, quem hic, ut judicare cuivis liceat, ligno exſculptum offerimus. » Dein Magiſtri » Fontium aliunde ſatis noti. Series quaſdam virorum, » hoc officio functorum, dat SPONIUS (*q*)." Apud REINESIUM (*r*) etiam MAGiſtri FONTis LOLLIANI novem enarrantur. Porro *Praepoſitum* dici pro Magiſtro, paſſim obvium. Praepoſitum monetae, item Prae-

(*n*) *Inſcript. Hetrur.* Tom. II. p. 337.
(*o*) *Theſ. Inſcript.* Tom. II. p. DCCIII. 1.
(*p*) Tom. I. p. 606.
(*q*) *Miſc. Erud. Antiq.* Sect. II. Art. VII.
(*r*) *Inſcr.* p. 227.

Praepoſitum veſtis albae triumphalis memoravit jam *Alſat. Ill. Praepoſitum Velariorum*, ita ut in noſtro expreſſum P. P. offert VIGNOLIUS (*s*).

Neapoli pridem gymnaſium floruiſſe, vel hic titulus oſtenderet, ni jam Virgilii exemplo notum foret, qui Graecas ibi Latinaſque litteras condidicit. Iiſdem in eadem ſchola juvenis noſter narratur eruditus, vel doctus vel educatus. Proſtant ſimilia exempla.

„ *Litteris Graecis & Latinis doctam Semproniam* SAL-
„ LUSTIUS (*t*) habet." MURATORII hoc eſt (*u*):

Q. EG. TARRONIO
GRAECIS AC LATINIS LITTERIS
ERVDITO —— —— —— ——

iſtud REINESII (*x*)

. . . .
EDVCATVS LITERIS GRAECIS
QVAM ET LATINIS

Inde quid ſit *utriſque litteris eruditus* apud MURATORIUM (*y*), intelligitur. Sic & *Atticus ſervus* dicitur *litteratus Graecis & Latinis Librarius* (*z*).

„ *Litteras* duplici elemento vulgo monumenta ſi-
„ ſtunt expreſſas. *Infeliciſſimos parentes* gemina occa-
„ ſione lapis Divodurenſis habet (*a*)."

CAE-

(*s*) *Inſcr. Select.* p. 272.
(*t*) *Bell. Catilinar.* cap. 25.
(*u*) Tom. II. p. DCXCVIII. 8.
(*x*) p. 681.
(*y*) Tom. I. p. CCCXCIV. 2.
(*z*) apud GRUTERUM p. DCXXV. 8.
(*a*) *Hiſtoire de Metz* Tom. I. Pl. XV. 5.

CAECILIAE SECUNDAE.

Marmor Roma advectum. Altum est pollices 4½, latum 10.

CAECILIA. L. ET. Ↄ. L.
SECVNDA. VIX. A. XXV.
L. CAECILIVS. L. ET. Ↄ. L.
APRILIS. F. VIX. AN. IIII.

Caecilia Lucii & Cajae liberta Secunda. Vixit annis XXV. L. Caecilius Lucii & Cajae libertus Aprilis filius. Vixit annos IV.

L. Caecilius & Caja Caecilia, Ↄ enim inversum eam vim habet (*b*), manumissis a se *Caeciliae Secundae* & *Caecilio* puerulo hunc titulum posuere. » Gentile heri nomen suum facere suevere liberti, " ut vel Tullii Tironis, quem Cicero in libertatem vindicavit, nomen ostendit. *Secundae* cognomen frequens occurrit; rarius praenominis vicem sustinet, exemplum tamen supra dedimus ipsi (*c*). Nec apud GRUTERUM (*d*) deest, nisi nomina transposita dicas. Stabilitur ea re sententia P. SERVII (*e*), errantes ambo

CAR.

(*b*) cf. VALER. PROBUS de *Not. Rom.*

(*c*) in *Lapidario* pag. 14.

(*d*) pag. DCCCXXXV. 11. DCCCXCI. 11.


(*e*) in *Miscellan.* GAUD. ROBERTI Tom. II. p. 76.

CAR. SIGONIUM (*f*) & FRANC. ROBORTELLUM (*g*), quorum is cognomen, hic praenomen eſſe negarat, in viam reducentis . . . Eſt & ubi in latinis titulis pro *Secunda* legitur *Deutera* (*h*).

„ *Aprilis* ſervile nomen apud GORIUM (*i*) extat." Sed & haud raro ingenuis inſerviit (*k*). Singulare eſt, quod in lapide quodam Lingonum obſervavit SCHOEPFLINUS, & in *ſchedis* reliquit, muliebre nomen *Aprillae*. En titulum:

APRILLAE. CONIVGI. C.
PATERCVLVS. FILIVS. P. C.
H. M. S. L. H. N. S.

Siglas interpretamur ſic, *hoc monumentum ſive locus heredes non ſequitur*, vel *huic monumento ſacer locus heredes non ſequitur.*



M. JUL.

(*f*) in *L. Emendat. adv.* ROBORTELLUM.


(*g*) L. de *famil. Romanor.*

(*h*) GRUT. p. DCXLVIII. 1, &c. MURAT. Tom. III. p. MCDXXI. 3.

(*i*) *Inſcr. Florent.* Tom. I. p. 430. & 442.

(*k*) v. GRUTER. p. LIX. 6. CCCCXXXI. 6. DXXVI. 5. &c.

M. JUL. COLARBASIS.



Marcus Julius Colarbaſis.

„Marmor hoc altum poll. $3\frac{1}{2}$, latum $5\frac{1}{4}$, Roma allatum, amicitiae teſſeram, muſeo huic inſeruit Ampl. HERBSTERUS, Ser. Marchioni Bada-Durlacenſi a Conſiliis Aulicis." Repraeſ. in *Alſ. Ill.* Tom.I. p.602.

Romanam originem monumenti praenomen nomenque gentis arguunt. Praenomen *Marci*, quod Latini per Siglam M. ſcribunt, more in Graecis Romanorum lapidibus obvio totum expreſſum legitur. Simili modo apud MAFFEJUM (*l*).

(*l*) *Muſei Veron.* p. XL.

PARS TERTIA

VASARIUM



SUCCEDUNT vaſa, inſtrumenta, ſupellectilia; quid enim impedit, quo minus haec omnia communi *vaſorum* nomine complectamur? Romanae gentis certe frequens uſus hoc tulit: ſic *vaſa conclamare* dicebant, ſic *vaſa colligere.*

Neque profecto hic eſt, ubi verendum nobis ſit, ne cui curta ſupellex noſtra videatur, quae & gentium, ad quarum ritus declarandos ſpectat, & locorum

unde collecta eſt diverſitate & ſua denique copia vix ulli antiquariae ſupellectili cedit, primarias Europae ſi exceperis. Efficit ſane haec vaſorum abundantia, lariumque, de quibus deinceps, reliquis monumentorum generibus, lapidibus, marmoribus, nummis, gemmis ſuffulta, ut cum permultis muſeis, *Neomagenſi Smetiano*, (*a*) *S. Genovefae Pariſino*, (*b*) *Romano Cauſei*, (*c*) *Cortonenſi*, (*d*) *Odeſcalco*, (*e*) aliiſque noſtrum de principatu contendere poſſit.

Monumentorum vaſarii hujus ſeries, ut pro more agamus, haec eſto. Adeſt ſupellex

I. Etruſca. * Vaſa Etruſca, rectius Campana.

II. Romana

1. ex uſu gentilium

a. vaſa

domeſtica

* fictilia: amphora, crateres, ſcutellae &c.

* vitrea.

ſepulcralia

lateres ſepulcrales legionum Roman. & opus doliare.

urnae

(*a*) edidit *Antiquitates Neomagenſes*, a patre & ſe collectas JOH. SMETIUS. 4. Noviom. 1678.

(*b*) Deſcriptum a MOLINETO prodiit a. 1692.

(*c*) Muſeum hoc, editum Romae 1746. fol. non niſi vaſa & gemmas recondidit; mire tamen viris doctis arriſit, ſic ut & a GRONOVIO *theſauro Antiquitatum* infereretur; ſuum fecit deinde & MONTEFALCONIUS. Laudat etiam MARIETTE *des Pierres grav. du Cab. du Roi* T. I. p. 280.

(*d*) excuſum eſt ib. 1750. fol.

(*e*) prodiit Romae 1751. fol.

urnae
* grandior ex alabaſtrite.
* argillaceae permultae.
accedit
* ſindonis asbeſtinae fragmentum.
* lucernae fictiles, nudae, ſignatae.
lagenulae, vulgo lacrymatoria.
vaſcula minora miſcella.

b. Inſtrumenta & ſupellectilia
ſacrum. * Siſtrum.
profana
domeſtica
* lucernae, aeneae & ferrea, claves, ſigilla, pondera, annuli, bulla, fibulae, furculae, catena, ligulae, cochlear, cultri, tintinnabula, ſecures, ſtrigil e balneo.
accedunt
tubuli e balneo.
* matrices monetales.
militaria
* haſtae, ſpicula, gladii.
accedunt
ſubſcudes e muro caſtrenſi Odiliano.
* armillae
2. ex uſu Chriſtianorum
* calix martyrii.

III. Gallica, ex aevo
1. Gallico
* ſecuris lapidea.

2. Francico
 * thesaurus sepulcralis Merovingicus.
 * lateres e sepulcro Arbogasti Episcopi Argent.

IV. Germanica
 * carrocii Argentinensis exemplum.
 * spicula ferrea.
 * lanceae sacrae exemplum.

V. Danica & Suecica
 * calendaria, seu fasti Runici duo.

VI. Sinensis & Tangutana
 * fumigatoria, quibus idolis suis sacra faciunt.
 * instrumenta scriptoria Sinensium, charta & penicilli.
 * liber Sinensis.
 * Tangutani codicis folium.

Quam pauca ex his in *Alsatia Illustrata* jam sint edita, stellae plurimis affixae declarant.



SUPEL-

I.



II.



III.



IV.



Weis sc.

SUPELLEX ETRUSCA

VASA ETRUSCA RECTIUS CAMPANA.

Figlina vaſa, encauſto picta, ſub Etruſcorum nomine nota, Etruſcis an Campanis maxime auctoribus attribuenda ſint, noſtro hoc tempore viros inter magni nominis diſceptatum videmus. WINCKELMANNUS (*f*) & D'HANCARVILLIUS (*g*) plurima imo fere omnia Campana eſſe dicenda pronuntiant; PASSERIUS (*h*) contra, Etruſcorum gloriae ſic ne nimis ſit detractum, veretur. Ab utraque parte certo modo ſtat veritas. Certiſſimum quippe illud eſt, maximos ejus ſupellectilis theſauros, quales inter alios MASTRILLII & HAMILTONII *Comitum*, dein MENGSII, ex Campania noſtro aevo eſſe collectos, inter Nolam & Capuam effoſſos, nonnulla etiam iſtorum vaſorum Graecis litteris eſſe inſcripta; (*i*) contra non minus etiam conſtat, ut olim Arretina (*k*) fuere celebria, ſic recentiori tempore magnam eorum vim Volaterrae, & aliis Etruriae locis inventam, (*l*) ipſamque Capuam, Campaniae caput, Etruſcos olim colonos accepiſſe (*m*): ut ſic vel Campana

(*f*) *Geſch. der Kunſt.* P. I. Cap. III. p. 118 ſq.

(*g*) *Collection of Etruſcan, Grecian and Roman Antiquities; from the Cabinet of the Hon. Wm.* HAMILTON. fol. Neap. 1768. Tomo IIdo.

(*h*) *Picturae Etruſcorum in Vaſculis* — fol. Rom. 1767. Vol. Imo. Utrumque hoc opus mirabili arte, a JOSEPHO BRACCIO inventa, vaſa cum coloribus ſuis ſimul una opera impreſſa exhibet. Utrumque in Senonenſi Lotharingiae Abbatia ante biennium perluſtravi, a Reverendo Abbate humaniſſime exceptus.

(*i*) v. WINCKELMANN. & D'HANCARVILLIUS l. c.

(*k*) v. MARTIALIS L. XIV. ep. 98.

(*l*) CAYLUS *Recueil d'Antiq.* T. II. p. 54.

(*m*) v. LIVIUS L. IV. c. 37.

pana etiam remotiori origine ſua inter Etruſca ſint referenda; etiamſi ſucceſſu temporis morum rituumque diverſitas & major apud Graecos artis linearis peritia diſcrimen ſatis luculentum attulerit (*n*).

Chriſtiano aevo haec vaſa multo eſſe antiquiora, ex PLINIO colligere licet, atque SUETONIO, (*o*) quorum ille ſilentio ſuo ſatis arguit, nullas tum amplius per Italiam ejus operis fabricas exſtitiſſe, hic etiam raritatis pretium Etruſca vaſa habuiſſe docet; nec ex Romae nec ex Herculanei ruderibus ulla prodiere, (*p*) ut haud inepte judicaſſe eos cenſeam, qui arma Romanae gentis artibus iſtis perniciem attuliſſe ſuſpicantur. Accedit, quod Bacchici cultus, a. u. 567. per Italiam SCto prohibiti (*q*), memoriam innumera vaſa conſervant. (*r*)

Jam haec vaſa ab adulterinis recentiorum artificum, PETRI FONDII & aliorum, argilla tenuiſſima atque leviſſima potiſſimum diſcernit. (*s*) Porro egregiam eorum formam mirantur periti, atque picturas. Et iſtius quidem elegantis ſcitaeque tantam diverſitatem deprehendere licet, quantam recentius aevum nunquam adhibuit: (*t*) ſuo opere D'HANCARVILLIUS ad ducentas ſe producturum ſpondet, unde neſcio, an fides adhibenda ſit CAYLO, (*u*) quum tres fere claſſes formarum conſtitui

(*n*) v. WINCKELMANN *Mon. Ant. Ined. Tratt. prelim.* p. XXXIV.

(*o*) in *Julio.* c. 81.

(*p*) v. D'HANCARVILLIUS l. c. p. 91. ſq.

(*q*) v. LIVIUS L. XXXIX. c. 8. ſq.

(*r*) cf. omnino PASSERIUS in *Vindiciis Etruſcis* inſertis Tomo primo operis laudati.

(*s*) cf. WINCKELMANN. l. c. p. 123.

(*t*) v. D'HANCARVILLIUS Cap. II. diſſertat. praemiſſarum T. II. Op. cit. ubi de uſu eorum vaſorum agit.

(*u*) *Recueil d'Antiq.* T. II. p. 55.

conſtitui poſſe praecipit. Caeterum ea formae varietas in eadem fere mole conſpicitur. Praeter paucas enim, quae ad tres pedes excreſcunt, aliaſque nonnullas prorſus minutas, reliquarum menſura ſeſquipedalis eſſe ſolet. (*x*) . . . Dein pictura, ſive ejus applicandae difficultatem, ſive in nonnullis, triplicem enim ſtilum diſtinguere fas eſt, (*y*) ſummam artem, quam vel Raphaëlis penicillo haud indignam pronuntiant, (*z*) ſive tandem figurarum multiplicem copiam reſpicias, in admirationem ſui ſpectatores rapit. Colores vaſi, udo adhucdum nec digitis ſane attingendo, erant manu firma certaque illinendi prius, quam in furnum darentur, nec errata emendare licebat; hinc nec aliud fere quidpiam quam figurae circumſcriptas lineas geſtumque exprimebant, dein ex furno protractis & etiamnum calidis vaſis imagines . . . Sed haec fuſius apud D'HANCARVILLIUM (*a*) videbis expoſita. Multiplici colore tinctas rerum imagines quae offerunt vaſa, (*b*) rariora ſunt; vulgo ita diſcrepant, ut vel in area ſubruſa, nigrae icones appictae ſiſtantur, vel area nigra, aliquantum etiam transparens, ſubruſo colore pictas imagines offerat. Accedit in ornamentis albi coloris haud rarus omnino uſus.

Ex forma vaſorum ſimulque pictis, quas referunt rebus, judicandum erit, cui uſui olim deſtinata fuerint. (*c*) Is nunc ſacer fuit, templis, larariis, votis, ſacrificiis

(*x*) WINCKELMANN. PASSERIUS, CAYLUS ll. cc. v. & MONTFAUCON. *Ant.* Tom. III. *Suppl.*

(*y*) Characteres triplicis ſtili egregie explicat WINCKELMANNUS G. d. K. p. 105 ſq.

(*z*) WINCKELMANN. l.c. p. 122. al.

(*a*) Op. laud. T. II. p. 137 ſq.

(*b*) v. BUONAROTA ad DEMPSTERI *Hetrur. Reg.* Tab XXVIII & XXXII. dein D'HANCARVILLIUS & PASSERIUS.

(*c*) Multiplicem uſum egregie docet PASSERIUS T. I, nec minus in eam ſollicite inquirit D'HANCARVILLIUS T. II.

crificiis, pompis atque ſepulcris inſervientium, nunc publicus civilis in judiciis atque ludis, ubi inter praemia occurrunt, nunc domeſticus & culinaris; fuere & quibus aedificiorum exornarentur faſtigia. (*d*)

Haec ita fuſius paullo perſecuti, ad noſtra nunc paucis deſcribenda nos convertimus. Tria poſſidemus, non quidem primi ordinis, elegantia tamen; quae Tab. VI. excudi aere curavimus. Ea Nolana ſunt, & in area nigra, bruno fundo illita, imagines ſubrufas vel flaveſcentes oſtendunt, lineis nigris diſtinctas. Mira eſt vaſculorum levitas, forma ſat ſcita, anſae elegantes.

Primum, quod n. I. & II. vides, altum pollices $7\frac{1}{2}$, amphorae formam habet & figuras duas togatas ſiſtit, ambas ut videtur muliebres. Siniſtram utraque ſub toga modeſtiae forſan cauſa abſcondit, dextram elevat; altera etiam hac florem geſtare videtur. Quo ſpectent hae feminae, quidve ſibi velint, non ſuccurrit. Poſterior conſueta Hetruſcis mitella caput obtectum habet, & in fronte lamellam, quae aurea eſſe ſolebat, ut apud PASSERIUM (*e*) alioſque paſſim videre licet.

Eodem ornamento, gemmarum ſerie etiam tum trans mitellae ſuperficiem mediam, tum in collo adjecta, femininum caput, quale fere MAFFEJUS (*f*) habet, Deae forſitan alicujus refulget, quod diota n. III. exhibita, hinc atque illinc ſiſtit. Alta eſt poll. 6. lin. 10.

Figura IV guttum in ſacris Bacchicis adhibitum, una anſa, longiori collo inſtructum, repraeſentat. Bacchica ſane mulier eſt, quae hic occurrit, Dionyſiacam ſaltationem ſequens, armata thyrſo, cujus diverſiſſima olim forma fuit. Altum eſt vaſculum poll. 7. lin. 5.

SUPEL-

(*d*) Hic vaſorum elegantium uſus patet ex *Picturis Hercul.* T. I. p. 229. T. II. Tav. LI.

(*e*) T. I. Tab. 48. 58. &c.


(*f*) *Muſei Veron.* pag. I.





II.


III.



IV.


I.



V.


VI.


VII.


VIII.


IX.


X.


XII.


XIII.


XI.


Weis sc.

SUPELLEX ROMANA

EX USU GENTILIUM

VASA ROMANA DOMESTICA


FICTILIA


AMPHORA, CRATERES, SCUTELLAE &c.

Amphorae noſtrae, ſive diotae, ut apud HORATIUM (*g*) ſalutatur, quaenam ſit dimenſio, & unde advenerit, ſupra (*h*) docuimus. Heic eam repraeſentare viſum eſt. cf. Tab. VII. n. I. & pauca de uſu ejus generis vaſorum adjicere. Triplex utique fuit, ſacer, domeſticus, ſepulcralis. Sacris, Veſtae potiſſimum, faciundis adhibita vaſa *futilia* ſunt dicta, erantque lato ore, fundo anguſto, quae ſtare non poſſent; in Veſtae quippe ſacris aqua ſi in terra poneretur, piaculum erat. (*i*) Quaeres, quo tandem modo ſtatui vas acuminatum infra potuerit? In gemma MARIETTI (*k*) ſacrificans femina diotam elevat ſupra ignem in ara accenſum, & inferiori vaſis parti manum admovet. Apud PASSERIUM (*l*) fictilis lucerna heroëm ſiſtit, Palladi ſacra facientem; is ante idolum ſtat nudus, ſiniſtro brachio niſus columna, dextra manu impoſita amphorae, ima ſui parte humili tripodi infixae. Huic mori

diotas

(*g*) L. I. *Ode* IX.
(*h*) in *Lapidario* p. 40.
(*i*) v. *Scholiaſt.* ad STATII *Theb.* VIII. 297. DONATUS ad TERENTII *Andr.* Act. III. Sc. III. v. 5.
(*k*) *Pierres Grav. du Cab. du Roi.* T. II. P. I. n. LXIII, ubi ipſius Auctoris expoſitio minus arridet.
(*l*) *Luc. Sep.* T. II. Tab. XCIX.


GAV


DIO

Confectus is eſt ex terra rubra, nigro incruſtata litteriſque albis ornata. . . . His tertium adjicio, ante biennium fere heic effoſſum atque dono Viri *Venerandi* WILH. ELEONOR. DE HÜRTIGHEIM, *Praepoſiti D. Petri Sen.* in cujus curia canonicali e ſolo erutus eſt, muſeo noſtro illatum. Ruſi coloris eſt, altus poll. 3. l. 7. Epigraphe alba refert BELLVS SVA, quod, ni fallor, ipſius crateris laudes exprimit, quem *bellum ſuavem*que dicit. Expreſſum poculum in *fronte vaſarii* exhibemus.

Illiterata pocula plura adſunt, quorum tria damus; primum coloris lutei, anſam a tergo, faciem humanam in anteriori parte gerens, altum poll. 4. l. 5. v. Tab. VII. fig. II. . . . Secundum, cujus bina nobis exempla ſunt, rubri coloris binis anſis inſtructum, diotae nomine inſigniendum, altum poll. 4. lin. 7. v. Tab. cit. fig. IV. ſimilem huic in *picturis Herculan.* (*f*) invenio. . . . . Tertium ex argilla alba, frondibus in exteriori parte pictum, elegans. Formam ejus in *fronte hujus partis* vidiſti, anſas non habet. In reliquis, notari velim quosdam compreſſo ventre.

Occupant tabulam citatam & alia vaſa diverſiſſima, *lagenulae* fig. VII. X & XI. affabre factae; in iis eſt, cujus ſumma colli ora trifolii formam habet. (*g*) Has lagunculas alii *guttos* ſalutant. Nos & ea vaſa guttis adſcribenda putamus, quae fig. V & VI. repraeſentat, anſa & collo inſtructa, forſan ad bibendam calidam a priſcis adhibita; ſimilia ſaltem iſti uſui apud nos dicata

(*f*) T. III. Tav. XX.

(*g*) Similis huic alia apud MONTEFALCONIUM Tom. III. *ſuppl.* Pl. LVI. 5.

ta ſunt. Artem ſi ſpectes, egregia eſt, mirante etiam in ſimilibus CAYLO. (*h*)

Agmen hoc teſtaceum claudunt *orbes*, *conchae*, *patinae*, *ſcutellae*, *patellae*, rubri albive coloris, ex quibus aliquas damus, fig. III. VIII. XII. XIII.

Vaſculi, quod fig. IX. comparet, ignotus mihi uſus. Ceterum plurima horum figlinorum vaſorum hic & quidem in ſepulcris ſunt detecta.

VASA VITREA

Perantiquus eſt *vitri* uſus, quod teſte PLINIO (*i*) flatu figurare, torno terere & argenti modo caelare, imo candidum purumque parare, &, flexibile ut eſſet, efficere noverunt priſci. Tabulas vitreas feneſtris aptandas confeciſſe ex Herculaneo didicimus, in quo inventas referunt, etiamſi aedificia in picturis repraeſentata iis carere videantur.

Vaſa vitrea omnis fere generis BEGERUS, (*k*) MONTEFALCONIUS, (*l*) CAYLUS (*m*) aliique (*n*) dedere. Nos ex muſeo noſtro, ex noſtratibus ſepulcris (*o*) plurimam partem eruta, elegantiſſima quaeque tabula VIII. exhibemus. Plurima ex vitro viridi, quaedam ex candido ſunt conflata. . . . *Lagenas* hic vides quatuor; primam 5. pollices altam, ventre plus ſimplici vice compreſſo,

(*h*) *Recueil d'Antiq.* T. II. Pl. XXVII. & XXXVIII.

(*i*) *H. N.* L. XXXVI. c. LXVI.

(*k*) in *Theſ. Brandenb.* T. III. p. 464 ſeq.

(*l*) T. III. Pl. LXXIX ſq.

(*m*) Libro ſaepius cit. T. II. Pl. XCVII.


(*n*) cf. & *Pitture d'Ercolano* T. II. p. 291 ſq. & BAJARDI *Catalogo* n. 587 - 722.

(*o*) Simili modo prope Spiram a. 1749. in ſarcophago lapideo inventa ſunt vitrea vaſa, quae peculiari diſſ. deſcripſit LITZELIUS.


I.




II.




III.




V.




IV.




VI.






IX.

VII.



VIII.





Weis sc.

preſſo, fig. I, . . . ſecundam, a 1767. in colle S. Michaelis hic effoſſam, collo truncatam, tenuiſſimae materiae, ſpiris & nexibus mirabilibus prominenti opere in exteriori ambitu ornatam, & poll. $4\frac{1}{2}$. altam, fig. III. qualem nuſquam hactenus reperire contigit; . . . tertiam, altam poll. $9\frac{1}{2}$. prorſus *praefericuli* forma confectam, anſa inſtructam belliſſima, fig. IV. Cum hac comparari poteſt alia in *Herculan. picturis*, (*p*) itidem ex vitro; marmoream ſimilem offert CAUSEUS. (*q*) . . . . Quartae anſa flexibili e vitro parata eſt, ut fig. VI. docet. Huic ſimilis & alia paulo minor adeſt.

Singulare forſitan vas eſt, *ſcutellam* vel *patinam* rotundam quod refert, expreſſum fig. II, cujus interior pars tota eſt argillacea, exterior vitro incruſtata, utraque viridi colore tincta; altum eſt poll. 4. lin. 8. diam. poll. $9\frac{1}{2}$. craſſum poll. 1. lin. 4.

Lagenula oblonga quadrata, prolixo collo & ore anguſto praedita, longa poll. 6, quae fig. V. comparet, litterata eſt in fundo, inſcripta ſiglis I. O. H. T. quarum ſenſum aeque cum ignariſſimis ignoro. HARDUINUS quidam exponet. Vaſculum ipſum recondendo aromati vel unguento inſerviiſſe videtur. Conferri meretur cum alia vitrea lagena BEGERI, (*r*) in cujus imo ſpectatur Mercurius cum litteris C M H R.


Elegantior etiam alia eſt *phiala* itidem litterata, alta poll. 3. lin. 9, ex ſepulcro Romano apud nos anno 1720 protracta, quam in *Alſatia Ill.* (*s*) conſpicis, unde & huc traduximus.

(*p*) T. II. p. 155. cf. & BAYARDI *Catalog.* p. 251 ſq.

(*q*) *Muſ. Rom.* T. II. Tab. III.

(*r*) l. c.

(*s*) T. I. p. 513.



In ejus imo legimus impreſſa haec: VICTORIAE AVGVSTOR . . . ex quibus ſcite citati operis *Cel. Auctor* expiſcatus eſt, Antoniniano tempori ſepulcrum memoratum adſcribendum eſſe.

Haec

Haec poſterior *phiala*, quod reliquum eſt, ſimul ac duae, quas fig. VII & IX. ſiſtit, ad *lacrymatoria* vulgo trahuntur; cui ſententiae vulgari tuendae MOLINETUS (*t*) non nihil praeſidii putat ſe in eo reperiſſe, quod in lapidibus ſaepe legimus, *cum lacrymis poſuere*, imo colorem viridem & elegantem earum lagenularum ex condenſatis & areſactis lacrymis ortum putat. Verum & formulae praedictae facilior eſt & tutior alius ſenſus, doloris interpres, & colorem eundem alia quoque vitra in terrae viſceribus contrahunt, elementorum vi in ipſorum materiem graſſante. Rectius omnino aromatibus, oleo, unguentis ſervandis eſſe adhibita credideris, (*u*) id quod praeter feralem uſum, in quo ſunt haec omnia vitrea vaſa deprehenſa, domeſticum etiam arguit; quem hic reſpeximus.

Ultimo adjecimus *ſcyphi* genus, n. VIII. quod inter Chriſtiana monumenta inferius deſcriptum reperies, *calicem martyrii* dicunt. Similem fere iſti calicem vel *ſcutellam* aliam ſervamus e candidiſſimo tenuiſſimoque vitro paratam, quae heic effoſſa. Diam. eſt poll. 3. lin. 9. altum vaſculum poll. 2. lin. 3.



(*t*) *Cabinet de S. Geneviève* ad p. 25 & 26.

(*u*) v. *Alſ. Ill.* T. I. p. 509. & SCHOEPFLINI *Comm. de Apotheoſi* in *Comm. Crit. & hiſtor.* p. 54 ſq. cf. & PACIAUDI *Mon. Pelop.* Vol. II. p. 180.

VASA ROMANA SEPULCRALIA

LATERES SEPULCRALES LEGIONUM ROMANARUM ET OPUS DOLIARE

Tegulas confecere veteres aut e lapidibus, aut e figulino opere. (*x*) *Lateres ſignandi* ritus, Aegyptiis (*y*) non incognitus, omnibus imperii Romani ſaeculis tritus atque ſolemnis fuit, ad Gothos (*z*) Galloſque (*a*) deinceps etiam derivatus. *Figulinum* id *opus*, quod ex eadem materia pararentur & dolia, *doliare* conſuevit appellari, (*b*) atque hoc ſaepe in ipſis tegulis adjicitur; ſolebat & poſſeſſoris indicari nomen; nonnunquam & figuli, cujus ex officina prodiiſſet; itemque tempus, quo confectum eſſet, notato vel utroque vel alterutro ſaltem Conſule, unde & faſtis emendandis inſerviit opus doliare. (*c*) Eſt & ubi unum alterumve horum momentorum ſolum tegulae impreſſum legitur. Nec deſunt lateres ſignati & illiterati. Exempla rei permulta FABRETTUS

(*x*) v. PLIN. *H. N.* L. VII. c. 56. MURATOR. *Theſ. Inſ.* T. II. p. CMXLI. 9.

(*z*) in *Schedis* SCHOEPFLINI:

RE DN THEODE
RICO RONORUM

REGE THEODO
RICO FELIX ROMA

i. e. *Rege Domino noſtro Theoderico Romanorum.* cf. & FABRETTI *Inſcr.* p. 521. MURATOR. *Theſ. Inſcr.* T. I. p. DIV.


(*a*) quod infra patebit ex noſtris.

(*b*) v. paulo ante pag. 101.

(*y*) CAYLUS in *Recueil d'Antiq.* laterem Aegyptium egregia Iſidis imagine inſignitum exhibet. T. I. Pl. XV, IV.

(*c*) v. NORISII *ep. conſ.* & FABRETT. p. 503 ſq.


II.




I.




III.




IV.



V.



VI.



VII.




VIII.




IX.



X.



XI.



Weis Sc.

TUS (*d*), BOLDETTUS (*e*) aliique (*f*) exhibent, quibus quaedam ſimilia in noſtro muſeo ſervamus. Sunt autem haec vel genuina Romana, Roma etiam allata, vel Romani aevi, apud nos & alibi paſſim detecta, vel Merovingicae tandem aetatis.

Lateres, Romae ſibi oblatos, bipedalis fere menſurae, ob quam cauſam *bipedae* pro lateribus interdum ſunt dictae (*g*), quod nollet *Cel.* SCHOEPFLINUS integros ſecum abducere, ſigilla exſecanda curavit. Tria ſunt numero; en iſta, qualia Tab. IX. repraeſentantur. Et quidem fig. VIII.

OPVS. DOLIARE. EX. PRAEDIS.
AVGG. NN. FIG. C. TERTIT.

Opus doliare ex praediis Auguſtorum noſtrorum figulo C. Tertitio.

Habet hoc idem ſigillum FABRETTUS, (*h*) ex quo ſimul condiſcimus, ſub epigraphe memorata ut in noſtro comparuiſſe rotam ſex radiorum. Porro fig. VII.

OP. DOL. EX. PR. M. AVRELI.
ANTONINI. AVG. N. PORT. LICINI.

Opus doliare ex praediis M. Aurelii Antonini Auguſti noſtri (ex officina) *Portii Licinii.*

 Et

(*d*) peculiari capite in *Op. Inſcription.* p. 496 ſq.

(*e*) in *Oſſervaz. ſopra i cimiteri de' ſſ. martiri* p. 528 ſq.

(*f*) MAFFEI. *Muſ. Ver.* p. CXI. MURATOR. *Theſ. Inſcr.* T. I. p. DI. ſq. BAYARDI *Catal. Antiq. Herculan.* n. 876 ſq. GORIUS apud POLENUM in *Theſ. Ant.* T. III. *Mém. de l'Acad. des B. L.* T. XIV. p. 432. LAMBECIUS *Bibl. Imp. Vindobon.* T. II. p. 1001. SCHELHORN *Amoen. Litt.* T. VII. p. 36. *Diſſ. Acad. Etruſcae* T. II. p. 186. CAYLUS *Recueil* T IV. Pl. LXXXI. & Tom. III. Pl. LXVIII.

(*g*) v. PALLADIUS de *Re Ruſt.* L. I. 40. & L. VI. 11. de dimenſione diverſa aliorum v. VITRUVIUS de *Re Archit.* L. II. c. 3. & PLINIUS *H. N.* L. XXXV. c. 49.

(*h*) p. 520.

URNAE ET OLLAE FERALES.

Offa fuorum, forfan & cineres, *urnis ollis*que fervata maufoleis, columbariis, hypogaeis, fepulcris, inferebant Romani; juxta ponebant *lucernas*, ut plurimum fictiles, *lagenulas* varias, diverfique generis vafa. Hujus omnis fupellectilis feralis infignem copiam ex noftratibus fepulcris fere omnem collectam, mufeum noftrum confervat; potiora tabulis tribus exhibemus.

Urnas inter eminet major anfata, alba ex alabaftrite lapide, pellucida licet craffa, finuofo ductu ftriata, prorfus egregia, quam ante hos triginta fere annos ab *Illuftri Viro Marchione de* BOUSSOLS, quo genero ufus eft *Ill. Marefchallus Franciae de* BERWICK, olim SCHOEPFLINUS nofter dono acceperat. In ejus quippe territorio, in Narbonenfi Gallia fito, fuerat detecta. Eam, altam pollices 13 ½, & diametri ejufdem fere menfurae, nos & hic Tab. X. n. I. exhibemus, & fupra in *fronte Marmorarii* offa *Optimi Viri* recondere finximus. Similem dat MONTEFALCONIUS (*x*) circa a. 1723 in agro oppiduli S. Tiberii, in dioecefi Agathenfi, prope viam qua ibatur Biterras, erutam, ex albo marmore, altam ped. 1. poll. 3. utrinque anfatam. Os habet fex pollicum diametrum.

Reliquam *urnarum* diverfae dimenfionis turbam fufius profequi nihil attinet; aliquas notaffe fuffecerit. Quam n. II. fiftimus, facies humanas in anfis refert. . . . Elegantem porro n. III. offerimus. . . . Alia, a. 1749 Eifenbergii, qui pagus tribus leucis diftat Kirchhemio, Weil-

(*x*) *Antiq. Expl.* T. V. Suppl. Tab. II, b. cf. p. 16.

I.




II.





III.



IV.







V.

ARBOASTIS EPSFICET

Weis sc.

Weilburgensis Principatus oppido, reperta » nigrican-
» tis coloris, ossibus a combustione residuis plena, ol-
» lulam in se continet, infantis recens nati ossicula ser-
» vantem, quam *Ampliss.* MOLLINGERO, *Ser.* NASSOVIO-
» WEILBURGENSI *Principi* tum a consiliis, acceptam re-
» fert *Alſ. Ill.* auctor. (*y*)

Caeterae fere omnes, albicantis, rubri, nigri, lutei, fusci coloris, ex sepulcris nostris hoc saeculo, sunt protractae. (*z*) Adest, quae lutei coloris est, a. 1767 (*a*) ex colle S. Michaelis, adstante WEISIO, industrio viro, chalcographo nostro, cum magna aliarum copia in lucem producta. Possessorem primum, e carcere subterraneo liberata, Virum *Exp.* JOH. FRID. CHRIST. CORVINUM, qui medicam artem apud nos profitetur, accepit, cujus dono accessit nostris a. 1771. Singulare fere est, quod praeter lucernam fictilem, inscriptam nomine COMMUNIS & nummum Vespasiani, medii quod ajunt moduli, in ea lusorii calculi, item tesserae, aleae inservientes, cum aliis ludicris deprehensae sunt. Forsan multum temporis eo ludo trivisse, an perdidisse dicam? eum indicant, quem sic ad Manes secutae sunt comites. Nil aliud sane in lapide sepulcrali apud BOLDETTUM (*b*) fritillus & tesserae designare videntur, nec aliud tessera in lapide MAFFEI (*c*). Ludis deditissimos fuisse veteres, novimus. *Tessellariae lusoriae artis artifex* occurrit apud MURATORIUM. (*d*) Praeterea in olla eadem clavi & unci, rubi-

R

(*y*) T. I. p. 589.

(*z*) Sic & varias superiori saeculo hic effossas *Civitatis Tabularium* recondit.

(*a*) Factum id tum, quum & T. FLAVII PEREGRINI epitaphium e tenebris emersit, quod in *Lapidario* dedimus pag. 30.

(*b*) in *Osservazioni sopra i cimiteri de' ss. Martiri.* p. 447.

(*c*) *Muſ. Ver.* p. CCLXXIX. 1.

(*d*) *Theſ. Inſcr.* T. II. pag. CMLVIII. 4.


rubigine multum adeſi, oſſibus permiſti viſuntur, nonnulli oſſiculis etiam adhaerent, quod vel cadaver, priuſquam combureretur, clavis eſſe aſſeribus affixum, vel ſaltem rogo ſtruendo uncos clavoſque eſſe adhibitos docere videtur. *Urnam* laudatam cum *teſſera* & *lucerna*, in ea inventis, repraeſentavimus Tab. X. n. IV.

SINDONIS ASBESTINAE FRAGMENTUM

Oſſa ſola, an cineres etiam, cremati cadaveris intulerint urnis antiqui, diſputatur. Nonnunquam oſſa duntaxat lecta eſſe, exigua cinerum in vaſis deprehenſorum copia monere videtur. (*e*) Id tamen haud fuit perpetuum. Quaerunt ergo, qui cineres cadaveris a ligni cineribus fuerint diſtincti? Abeunt hic in alia KIRCHMANNUS (*f*) aliique, quos jam non moror. *Asbeſtinum linteum*, quod PLINIUS (*g*) *vivum* appellat, in ditiorum funeribus eſſe adhibitum, dubio caret. Manifeſtum rei documentum initio hujus ſaeculi detectum eſt, quod FICORONIUS (*h*) & ex eo SCHOEPFLINUS (*i*) enarrat; in cujus muſeo, fragmentum antiquae ejuſmodi ſindonis, Roma allatum (*k*), conſervatur.

Ubinam noſtro aevo amiantum, ex quo viva tela paratur, reperire detur, cum CIAMPINIO (*l*) iterum SCHOEPF-

(*e*) v. *Alſ. Ill.* T. I. p. 513.
(*f*) de *Funer. Rom.* L. III. c. 7.
(*g*) *Hiſt. Nat.* L. XIX. c. 4.
(*h*) *Oſſerv. ſopra l'Antich. di Roma* pag. 59.
(*i*) in Diſſ. de *Apoth. Imp. Rom.* inſerta Ej. *Comm. Hiſt. & Crit.* p. 58. cf. Id. in *Mem. de l'Acad. des B. L.* T. X. p. 462.
(*k*) v. SCHOEPFLINUS ipſe ll. cc.
(*l*) in pecul. Diſſ. de *lino incombuſtibili.*



Weis sc.

SCHOEPFLINUS (*m*) docet. Modus, quo iſta Asbeſtini confectio procedat, inter alios fuſe exponitur a MARSILIO (*n*) *Comite*, qui & ſilicis lapidem cum venis amianti, in eo deliteſcentibus, dein laminas hujus & filamenta ob oculos lectoribus ponit. (*o*) RICHARDUS etiam *Abbas* (*p*) linteum vivum deſcribit, ni ſit idem cum eo, cujus SCHOEPFLINUS meminit. Nihilominus SCHAEFFERUS, multis in ſtudio naturali meritis clarus, asbeſtinum aliquoties quidem, verum non ſemper & in perpetuum, ignis vi reſiſtere tradit. (*q*)

LUCERNAE SEPULCRALES

Perpetuum lumen in ſepulcralibus *lucernis*, quas inde perpetuas ſalutarunt, eſſe ſervatum priſca aeque ac recentiori aetate a multis eſt traditum, quorum teſtimonia ejuſdem cauſſae patronus FORTUNIUS LICETUS (*r*) congeſſit. Mihi potior OCT. FERRARII (*s*) aliorumque & SCHOEPFLINI (*t*) videtur opinio, rem totam ad fabulas ablegantium. Recentiori tempore tamen *Princeps Severopolitanus* arcanum id *lucernarum* per octodecim menſes *inexſtinguibilium* detexiſſe fertur.

Quicquid ſit, haud paucas in muſeo noſtro oſtendere licet lucernas fictiles, ex noſtris etiam ſepulcretis Romanis ex parte deſumtas. Potiores Tab. XI & XII

 exhi-

(*m*) in Diff. cit. p. 59.
(*n*) in *Danubio*. T. III. p. 65.
(*o*) Ibid. 67.
(*p*) *Deſcript. hiſtor. & crit. de l'Italie*. T. V.
(*q*) *Verſuch aus Asbeſtſtein Papier zu machen.*
(*r*) in *Lucernis antiquorum reconditis*. L. I.
(*s*) de *Vet. Lucernis ſepulcr.* apud GRAEVIUM T. XII. p. 1000 ſq.
(*t*) *Alſ. Ill.* T. I. p. 511. & 514. cf. & PACIAUDI *Mon. Pelop.* p. 181.

exhibentur. Adest & alia peculiaris formae, nomine CASSI inscripta & pineae nucis formam referens, alta 4 poll. longa 5. lin. 6. lata 3. poll. 6. lin. quam videsis in *Alf. Ill.* T. I. Tab. VII. n. V & VI. Ea heic a. 1720 detecta est. (*u*) *Cassii* nomen ad figulinum fabrum absque dubio referendum. Similia nomina, in fundo harum lucernarum obvia, collegit SMETIUS. (*x*) Plura dabit PASSERIUS, (*y*) qui illud potissimum egit, ut omnem fere antiquitatis notitiam ex istis vasculis posse condisci ostenderet. Occurrit in illis expressa tota mythologiae ratio, sacra, ludi, militares etiam & domestici ritus.

Speciminis loco possunt & nonnulla ex nostris inservire. Jovem armatum fulmine, alite suo vectum, qui fulmini insistit & ipse, offert lucerna ex argilla rubra levissima, longa poll. 3. lin. 10. diam. poll. 2. lin. 10. in ejus fundo impressa est littera T. v. T. XII. n. I. Similes dant MONTEFALC. (*z*) & PASSERIUS. (*a*) . . . Aliae ad ludos spectant figurae. Ad scenicos persona comica lucernae albae, quam Tabula memorata n. V. offert; aliis apud PASSERIUM (*b*) non absimilis; . . . ad Circenses agitator bigis vectus in lucerna rubra, ib. n. VIII, quacum conferri potest alia apud MONTEFALC. (*c*) . . . ad gladiatoria munera pertinet illa ex argilla rubra levissima, diam. poll. 3. lin. 11. long. poll. 6, quae gladiatores duo depugnantes ostendit, iisdem armis eodemque

(*u*) v. *Alf. Ill.* l. c.
(*x*) in *Antiq. Neomag.* p. 104.
(*y*) in Opere egregio de *fictilibus lucernis sepulcralibus.*

(*z*) T. V. Pl. CLIV.
(*a*) T. I. Tab. XXV.
(*b*) T. II. Tab. LIII. sq.
(*c*) T. V. Pl. CXCIII.

demque habitu. Galea eaque parum vulgari (*d*) uterque caput, corpus lorica, pedem alternum ocrea tegit, gladium alter dextra, alter ſiniſtra gerit, clypeum oblongum quadratum inverſo ordine. Non abſimilem lucernam apud PASSERIUM (*e*) reperies. Noſtram damus T. XII. n. II. ubi patet, in fundo legi nomen FLORENTIS, apud PASSERIUM (*f*) frequentatum. . . . Ad munera quoque reſpicere putarim certamen urſi & leonis in lucerna rubra, diam. poll. 3, cujus diſcum ambit limbus, uvis pampiniſque ſcite exornatus. v. Tab. XI. n. V. cf. & MONTEFALCON. (*g*) In fundo legitur PA SALUC, quod interpretor *Paulli Saluccii*. Hoc figuli nomen ſaltem alicubi me deprehendere memini. Contra PASSERIUS (*i*) forſan male, ut ſuſpicor, habet PAS. AVG. Saltem in ejus lucerna eadem, eadem limbi decora, eaedem litterae quae in noſtra, idem umbo infra epigraphen.

Reliquas, quales Tab. XI. n. VI. quae equum decurrentem & Tab. XII. n. VI. quae pegaſum, item quae ib. n. III. ſtellam ſiſtit, hic nos morari nolim. Artis linearis in plurimis tum noſtris tum aliorum muſeorum non tanta eſt elegantia atque peritia, quanta apud PASSERIUM alioſque apparet, quorum exemplo noluimus detrimento veritatis abripi.

Quod in fundo lucernae Tab. XII. n. VII. occurrit, nomen CATILIVE . . . forſan legendum C. ATILI. VEII. *Caji Atilii Veji*, ni ſit *Veri*, vel CATILI VEII. *Catilia*

 enim

(*d*) Simile quid obſervare datur in *Vaſis Etruſcis Muſei* HAMILTONII T. II. n. 129.

(*e*) T. III. Tab. VIII.

(*f*) T. I. Tab. CIV. T. II. Tab. XIX. & CIV. T. III. Tab. XLVI.

(*g*) T. V. Pl. CXCI.

(*i*) T. III. Tab. CVIII.

enim gens in lapidibus (*k*) quoque nota. Minus recte rursus credo apud PASSERIUM (*l*) ita distingui: CA TILIVES. Ceterum ea lucerna longa est. poll. 5. lin. 6. diam. poll. 3. lin. 5.

In reliquis adsunt inscriptae nomine
IVLI ALEXI, Romanis haud infrequente. (*m*)
EROTIS, quod & alibi obvium. (*n*)
COMMVNIS, ut apud SMETIUM (*o*), sed de hac postrema supra jam actum est.

LAGENULAE ET VASCULA FERALIA

Lacrymas *vasculis vitreis & figulinis* esse servatas in sepulcro, vulgaris opinio fert, a SCHOEPFLINO & aliis penitus rejecta. Quicquid ejus rei sit, lagenulae, phialae, & similia vascula hic nunc essent afferenda, quorum aliquam copiam possidemus. Verum ea, quum non ferali modo sed & domestico usui fuerint, paulo ante praelibavimus. Respicias ergo in Tab. VII. & VIII, simulque pag. 103 sq. cf. & *Als. Ill.* T. I. Tab. XII.



RO-


(*k*) cf. MURATOR. T. II. MCLXI. 6.


(*l*) T. III. Tab. XCI.


(*m*) v. GRUTER. p. CCCXXXIX. 5. DLXXXIIII. 2.


(*n*) v. MURATOR. T. III. p. MCCCXLVIII. 3. & MCCCLIV. 7. 9. Frequentia & ejus composita, v. Ib. MCCCXLIX. 5. MCCCLXXXVIII. 7. MCCCXCIII. 16. MCDXXIV. 5. . .

(*o*) l. c.



I.


II.



III.



IV.



V.



VI.


VII.


VIII.


IX.


X.


XI.



XII.
RVSTICI


XIII.



XIV.


XV.


XVI.


XVII.


XVIII.


XIX.


XX.


XXI.


XXII.

Weis Sc.

ROMANA
INSTRUMENTA ET SUPELLECTILIA

Inſtrumenta & ſupellectilia gentis Romanae, admodum diverſa, tribus tabulis complexi ſumus. In iſtis unum adeſt ſacrum, ſiſtrum, reliqua vel domeſtica ſunt vel militaria.

INSTRUMENTUM SACRUM
SISTRUM

Crepitaculum aeneum, manubrio & bacillis quibuſdam transverſis mobilibus inſtructum, quod tinnitui eliciendo concuti manu ſolebat, ab APULEJO (*p*) deſcribitur. Id a σείω, σεῖστρον, *ſiſtrum* nuncupari conſuevit. Ejus erat & domeſticus apud Romanos, ſedandis puerorum clamoribus, uſus, MARTIALI (*q*) memoratus, & apud Aegyptios diu ante ſacer aeque ac militaris. In acie ſaltem locum habuiſſe & pro buccina quaſi eſſe adhibitum ex VIRGILIO (*r*) videtur colligi poſſe. Verum ſolemne & proprium tamen ſiſtri miniſterium in ſacris, maxime Iſiacis, apud Romanos etiam uſitatis, fuit; quod, ut alia ſexcenties dicta mittam (*s*), vel ex ſacrificio Aegyptiaco, in *picturis Herculan.* (*t*) expreſſo, patet. In gemma MARIETTI (*u*) etiam, ut in deſcriptio-

(*p*) *Metam.* L. XI. fere ab initio.
(*q*) L. XIV. ep. 54.
(*r*) *Aeneid.* L. VIII. v. 696. cf. & ISIDORUS *Origin.* L. III. c. 21.
(*s*) v. *de Siſtro* Diſſ. BOSSII, itemque BACCHINI, qui BOSSIUM in multis emendat, in GRAEVII *Theſauro Ant. Rom.* T. VI.
(*t*) T. II. Tab. LIX & LX.
(*u*) *Pierres grav. du Cab. du Roi* P. I. n. IX & X.

ſcriptione APULEJI, ipſa Iſis ſiſtrum tenet. Notum eſt de caetero, ſacerdotes Iſiacos *ſiſtratam turbam* a MARTIALE (*x*) dici. Ad Typhonem pellendum ſiſtra eſſe adhibita, PLUTARCHUS (*y*) narrat. Ad alites a victima arcendos fuiſſe parata, STUCKELII (*z*) opinio eſt, quam ut cuiquam probet vereor. Idem ſat lepide in aſtris Adamum ſibi reperiſſe viſus eſt, ante aram flexo genu ſiſtrum tenentem, quo voracem volucrium turbam pellat, ita enim is Engonaſin interpretatur.

Siſtrum, cujus occaſione haec protulimus, Roma in muſeum hoc tranſiit. Altum eſt poll. 7. lin. 9. Tres habet, ut in *fronte* hujus *vaſarii* (*a*) vides, transverſales bacillos & in ſummo reſidentem aelurum, prorſus ut PLUTARCHUS (*b*) refert, & apud CAUSEUM (*c*) & MOLINETUM (*d*) alioſque occurrit. Verſa vice inter lares comparebit aelurus, ſiſtro armatus.

SUPELLEX DOMESTICA

LUCERNAE

Fictiles *lucernas* dedimus paulo ante (*e*), jam *ferream* damus & *aeneas*. Iſta duobus ellychniis adaptata ſuſpendebatur olim ex catena, quae hodienum adhaeret. Repraeſentatur Tab. XI. n. I. Similem produxit MONTEFALC. (*f*) ſimilem quoque bilychnem & penſilem

(*x*) L. XII. ep. 29.

(*y*) de *Iſide & Oſiride* cap. 74.

(*z*) in *Praef.* ad *Medallic hiſtory of Carauſius*.

(*a*) pag. 91.


(*b*) L. cit. cap. 75.

(*c*) in *Muſ. Rom.* Sect. III. Tab. 15 – 17.

(*d*) *Cab. de S. Genev.* ad pag. 7. cf. & MONTFAUCON *Ant.* T. III. Pl. CXCII.

(*e*) pag. 115.

(*f*) *Antiq.* T. V. Pl. CXL.



Weis Sc.

lem, ſed aeneam, ſed Chriſtianorum uſibus dicatam CAUSEUS (*g*), quippe in orbe a tergo monogrammate Salvatoris eſt inſignita. . . . Aeneae diverſam formam prae ſe ferunt; eſt, quae duplici ellychnio recipiendo, prorſus ut ferrea, eſt deſtinata, penſilis & ipſa. v. n. II. . . Alia caput ſimii aemulatur, hiante ore, fere ut apud MONTEFALC. (*h*) cf. n. III. Sic alibi occurrunt (*i*), quae humanum caput referunt, item quae caput Sileni &c. . . Demum alia eſt, cujus anſa in modum colli & capitis cygnei confecta comparet, ut apud MONTEFALC. (*k*) Noſtram exhibet tab. laud. n. IV. CAUSEUS ſuppeditat aliam, quae totam cygni formam ſiſtit. (*l*)

CLAVES

Non perinde eſſe, qualis olim clavium forma fuerit, WINCKELMANNI nuper exemplum docuit, cujus clavigerum Cupidinem recentioris operis clavem manu geſtare aſſerit CASANOVA. (*m*) In noſtro muſeo antiquae ſat multae ſervantur. Adeſt *clavis ferrea* maximae molis, forſan portae urbis cujuſdam, longa pedem unum. Eam in *fronte* hujus *vaſarii* exhibemus. Sui ſimilem apud MONTEF. non habet; in *picturis Herculan.* (*n*) eſt, qui geminam geſtet, inter atrienſes forſan referendus... Dein *minores* adſunt nobis complures *ex aere*, quarum nonnullas Tab. XIII. n. I-VII. produximus, ſimiles

S iis,

(*g*) *Muſ. Rom.* Sect. V. tab. 4.

(*h*) l. c. Pl. CLXXVII.

(*i*) v. LA CHAUSSE in *Muſ. Rom.* Sect. cit. tab. 14. 15.

(*k*) T. V. Pl. CXLI. cf. & CAYLUS T. IV. Pl. CIII.

(*l*) Sect. V. tab. 21.

(*m*) *Abhandlung über verſch. Denckmaeler von Dreſden.*

(*n*) T. I. pag. 261.

iis, quas ex MOLINETO (*o*) BONANNIO (*p*) & aliis MONTEFALC. (*q*) oſtendit . . . Singulares fere nobis duae ſunt, n. III & V. cum iis, quas Gallicas claves ſalutamus, conferendae . . . Quam fig. VII oſtendit, *clavem annularem* cum LIPSIO MOLINETUS (*r*) ſalutat, reluctante BEGERO (*s*). Certe digito is annulus clave ornatus geſtari poterat, qua forſan obſignabantur, quae majoris pretii & minuta erant, quales gemmae & ſimilia. Cellas etiam eo obſignatas PLAUTUS (*t*) ex mente quorundam refert, viliſſima utenſilium ab Imp. Tiberio TACITUS (*u*). Pro *annulo pronubo* forſan accipi id clavicularum genus ſuſpicabatur SCHOEPFLINUS. Similes praeter MOLINETUM, MARIETTUS (*x*), GORLAEUS (*y*), aliique oſtendunt.

SIGILLA

Quam parum ab arte typographica invenienda abfuerint Romani, ipſorum *ſigilla* docent, ſemiextantes continuas litteras & junctas ex aere fuſas exhibentia, a quibus ad ſingulas mobileſque ſimili modo conficiendas haud difficilis videtur tranſitus. Alia ſigilla collegit MONTEFALCONIUS; (*z*) ex noſtris duo *Alſ. Ill.* (*a*) offert. En iſta inde repetita. Prius hoc, Roma allatum, cujus exemplum aliud & MONTEF. ex muſeo *Mareſchalli* D'ETRÉES exhibet: (*b*)

Eo

(*o*) *Cab. de S. Genev.* ad pag. 30.
(*p*) in *Muſ. Rom.*
(*q*) *Antiq.* T. III. Pl. LIV & LV.
(*r*) l. c. p. 30.
(*s*) *Theſ. Brandenb.* T. III. p. 423.
(*t*) in *Caſina* Act. II. Sc. 1. v. 1.
(*u*) *Annal.* L. II. c. 2.
(*x*) *Pierres grav.* T. I. p. 19.
(*y*) *Dactyl.* T. I. fig. 42.
(*z*) T. III. Pl. CXXXVI ſq. & T. III. Suppl. Pl. LXIV b. & LXV.
(*a*) pag. 595 & 609.
(*b*) Tab. LXV. cit.

FELIX·CH
ORS·PRIMA

Eo itaque uſa eſt *cohors prima*, a virtute, quam in bello praeſtitit, *felix* cognominata. *Chortem* pro cohorte dici, vulgare eſt. Ita in nummis Antoniae familiae, (*c*) & in lapidibus frequentiſſime. (*d*) Sic & *chortem I.* in Heilbronnenſi lapide expreſſam BREITINGERUS invenit. Nec id mirum, ſi certa ſit vocis a χόρτος derivatio . . . Alterum iſtud :

QCAAN
PRISCI

ſubaudi opus. » Sigillum erat fictilibus vaſis vel vaſcu-» lis imprimendum; unde tabellae inhaeret annulus. » *Calanum* nec ſaxa nec ſcriptores produnt. *Priſci* » multarum gentium fuere. (*e*) » Eſt & apud CAYLUM (*f*):

COCCEI
PRISCI

S 2 Dein

(c) V. VAILLANT *NN. famil.* n. 103.
(*d*) cf. MAFFEJ. *Muſ. Ver.* p. CXXIV. 3. MURATORIUS *Theſ. Inſcr.* T. II. p. DCCCXXXI. 8. DCCCXXXIX. 5.
(*e*) v. *Alſ. Ill.* T. I. p. 609.
(*f*) *Recueil d'Antiq.* T. IV. Pl. CIII. alia dant D'ORVILLII *Sicula* T. I. ad p. 123. & BAYARDI *Catalogo delle Antich. d'Ercol.* N. 619 - 633. p. 404.

Dein alia duo nostratia Tab. XIII offert, fig. VIII, quod exprimit vocem CAUDII, & IX, ex quo equidem sensum nullum extricare valeo; hoc figuram cordis prae se fert . . . Aliud ex nostris ovatae figurae est, aeque mihi impervium.

PONDERA

Transimus ad *pondera*, quae apud Romanos libra libraeque partibus, ab uncia designatis, absolvebantur. Duodecim unciae conficiebant libram, vario modo iterum subdivisae. Ejusmodi pondera vulgo antiquissimi nummi offerunt. Verum & alia fuere, praeterquam in istis, ex marmore vel aere confecta. Horum, nam de nummis inferius nobis sermo erit, seriem satis egregiam, Roma allatam, Tab. XIII. n. X-XVIII conspicis. Priora sex, cum aliis tribus, hic non expressis, ex basalte omnia, vel lapide lydio, qualia & FABRETTUS (*g*) offert, ex aevo Romani imperii sunt, dum in occidente florebat, reliqua tria aenea ex Byzantini imperii temporibus adsunt. Singula ad Gallici ponderis, quod marcae vocant, rationem exegimus; habet autem libra Parisina selibras sive marcas 2, marca uncias 8, uncia grossos 8, grossus grana 72.

Primum itaque pondus, fig. X. in superiori parte paulum excavatum, ut manibus facilius teneri possit, respondet librae 1. marcae 1. unciis 7. grosso 1. Romanum ergo id dupondium fuit recentiori aliquanto levius, saltem Parisino, ut & de aliis BLANCIUS, SAVOTUS

(*g*) *Inscr.* p. 523.

TUS, MERSENNIUS aliique perhibent; LUCAS PAETUS (*h*) & Romano levius putavit, qua in re FABRETTUM (*i*) aliosque expertus est contradicentes. Sed in hanc litem jam nec vacat nec lubet descendere. Eandem certe rationem reliqua nostra pondera habent, aeque ac primum hoc Parisinis leviora.

Secundum, fig. XI, efficit uncias 4, grossos $2\frac{1}{2}$. In summa superficie puncta deprehendo, intellectu difficilia. Forsan notant litteras Q & S, hoc sensu: *Quatuor* scil. *unciae semis*; huic tamen suspicioni vix indulgere audeo.

Tertium, fig. XII, quatuor unciarum fuit, quod totidem puncta docent, & detritum licet, hodieque uncias 3, grossos 6 pendet. Habuit autem hoc pondus olim publicam fidem, quod haec epigraphe ostendit: EX A Q IVNI RVSTICI, i. e. *Ex auctoritate Quinti Junii Rustici.* Is sub Imp. Constante Saec. IV. Praefectus urbi fuit, qua ex causa haec ponderum constituendorum cura penes ipsum erat. Nomine ejus sic signata pondera ex FABRETTO (*l*) & SPONIO (*m*) MONTEF. (*n*) exhibet; apud quem & alia pondera tum Praefectorum urbis aliorum nominibus, tum aliis etiam formulis signata videre licet.

Quartum, fig. XIII, tribus punctis, pro tot unciis absque dubio insignitum, 2 uncias totidemque grossos exaequat.

 Quin-

(*h*) *de Mens. & ponderib.* L. V. apud GRAEVIUM in *Thes. A. R.* T. XI.

(*i*) *Inscr.* l. c.

(*l*) l. c.

(*m*) in *Misc. Erud. Antiq.* Sect. IX. p. 303.

(*n*) *Antiq.* T. III. Pl. XCIII sq. cf. & GRUTER. *Inscr.* p. CCXXI sq.

Quintum, fig. XIV, ſimili modo notatum, unciam I, groſſos 6; cujus diſcriminis cauſam non prorſus perſpicio.

Sextum, fig. XV, punctis diductis litteram S, denotandae *ſemunciae*, inſcriptam refert, quod prorſus quadrat, pendet enim groſſos 3 ½.

Reliqua tria pondera ex aere & quadratae formae ſunt. Egregie ornatum eſt id, quod fig. XVI ſiſtitur, cui duae imagines humanae, laurea incluſae, ſunt inſculptae, ad medium corpus expreſſae, capitibus ex argentea lamella inſertis & limbo cinctis. Pro Sanctis habere fas eſt. Simile noſtro profert MOLINETUS, (*o*) ſed nota ponderis differt: in hoc comparet IB quod is interpretatur per tres ſolidos; in noſtro lamellae argenteae ſiglas offerunt has Γ Λ. Ni fallor, Γ notat ὀγκίαν, unciam, omiſſa, quae ſolet alias addi, littera o. Ita enim apud eundem MOLINETUM (*p*) Γο S notat uncias ſex. Id ſi ſit, dubium non eſt, quin ſigla altera ſit A, tractu medio deficiente. Sic notaret pondus *unciam unam*, quod prorſus convenit, ad Pariſinae librae rationem enim relatum pendet groſſos 7.

Eadem epigraphe idemque valor alterius ponderis eſt, quod fig. XVIII offert, ubi ſiglae Γ & A intermedia cruce, quam in ſcholis Heraldicis patulam evacuatam dicunt, viſuntur. Conferri hoc cum eo MOLINETI poteſt (*q*), quod ſimili modo refert ſiglas Γ. S. ſive *uncias ſex*.

Non aeque expedita ſignificatio eſt ſiglarum, quibus pondus eſt inſignitum, quod fig. XVII repraeſentatur. Valet id Pariſinae librae unciam I, groſſos 5 ½.

ANNU-

(*o*) l. c. ad pag. 65. N. VIII. (*p*) ib. N. II. (*q*) ib. N. III.

ANNULI, BULLA, FIBULAE, FURCULAE, ACUS, CATENA.

Quae ſequuntur, parando muliebri mundo, virilique ornatui inſerviere.

Huc *annuli ſignatorii* ſpectant, quos inter poſſidemus aeneos tres, ſignantes N. W. alium dein, itidem aeneum, qui exprimit L. XVI. quod abſque dubio de *Legione XVI* eſt intelligendum.

His litteratis annulis, adjungimus nonnullos litteris caſſos: majorem vitreum, cui flava gemma eſt inſerta; alium ex aere, qui carneolam includit, Dianae imagine inſignem; alium qui navem ſignat; item caput ignotum. Alium denique nec litteris nec ſigno notatum, ſat tamen ſcite confectum, laudata tabula fig. XXI ſiſtit ... Eſt & recentior, qui in rubino Arabicam praefert epigraphen. Sed de his in *Dactyliotheca* noſtra ſive *Gemmario* agemus pluribus.

Auream *bullam* e collo pendulam geſtaſſe triumphantes ex more Romano, auctor eſt MACROBIUS. (*r*) Iſtae grandiores fuere, qualem CAUSEUS, (*s*) FICORONIUS & BAUDELOTIUS (*t*) exhibent, totam ex auro. Minores aureae forſan & aeneae praetextatorum puerorum decus erant. (*u*) Noſtra, quae Tab. XIII. n. XX. repraeſentatur, ex aere eſt confecta. Frequentem uſum SPONIUS (*x*), BEGERUS (*y*) MONTEF. (*z*) probant. Scorteas

(*r*) *Saturn.* L. I. c. 6.

(*s*) *Muſ. Rom.* Sect VI. Tab. 6.

(*t*) *Mem. de l'Acad. des B. L.* T. III. p. 230.

(*u*) v. PLINIUS *H. N.* L. XXXII. c. 4.

(*x*) in *Miſcell. Erud. Antiq.* Sect. IX. p. 299.

(*y*) *Theſ. Brandenb.* T. III. p. 360. 427.

(*z*) *Antiq.* T. III. Pl. V. & XXXVII.

teas bullas geſtaſſe libertos, exemplo quodam noſtro docuimus ſupra. (*a*)

Aeneas *fibulas* bene multas offert MONTEFALCON. (*b*), ex parte a MOLINETO (*c*) commodatas, qui perperam pro ſtilis eas venditat. Noſtrarum nonnullas Tab. XV. n. IV - VI. videre licet.

Muliebribus laboribus inſerviiſſe mihi videntur *fuſcinulae*, Tab. XIV. n. VI & VII oblatae; quae, proinde ut *acus*, mundo muliebri deſtinatae, & n. VIII - X expreſſae, ex aere ſuperſunt. *Diſcriminales* dicebantur iſtae, (*d*) quibus crines ſeparabant matronae.

Ex aere quoque adeſt *catena*, colli quondam decus. Auream ex BEGERO (*e*) offert MONTEFALCONIUS. (*f*)

ARMA CONVIVALIA

Ita BARUFFALDUS (*g*) *cochlearia*, *ligulaſque* appellat, quales ex aere Tab. noſtra XIV. n. I - IV exhibentur. (*h*) Idem *cultros* & *fuſcinulas* adhibuiſſe veteres negat, quod cibi caperentur digitis, a carptore & ſciſſore in fruſta diviſi, quodque ligula, hinc acuta illinc expanſa & concava (*i*), ſola ſufficeret. De caetero verum quidem eſt, furcas nec in muſeis reperiri, nec

(*a*) in *Lapidario* p. 24.

(*b*) *Antiq.* T. III. Pl. XXVIII ſq.

(*c*) l. c. p. 31.

(*d*) v. HIERONYMUS *adv. Rufinum* L. 3. cap. ult.

(*e*) in *Theſ. Brandenb.* T. III. p. 426.

(*f*) *Antiq.* T. III. Pl. XXXII. cf. p. 51.

(*g*) apud SALLENGRIUM in *Theſ. Antiq.* T. III. p. 737.

(*h*) Similes dat CAUSEUS in *Muſ. Rom.* Sect. III. tab. 7.

(*i*) Reſpice Tab. cit. cf. & MARTIALIS L. XIV. ep. 121.

nec in Herculaneo inventas; (*k*) aſt cultrorum copia ingens ubique; nec in noſtro muſeo deſunt.

LIGULA CHIRURGICA

Quod ſequitur n. V, inſtrumentum, ad ſubigenda unguenta & emplaſtra adhibetur ab iis, qui manu mederi ſolent.

TINTINNABULA

Horum uſus & domeſticus fuit, & ſacer, PLAUTO (*l*) ac SUETONIO (*m*) teſtibus. In noſtro muſeo ſex ſunt ex aere, majora tria, tria minora. Duo exhibemus Tab. XIII. n. XIX & XXII.

SECURES

Aeneae porro *ſecures* adſunt, numero tres, tabula XIV repraeſentatae; quarum ſimiles & alia muſea recondunt. Et primae quidem, fig. XI, gemellam prorſus CAYLUS (*n*) & MOLINETUS (*o*) ſuppeditant. Ea & domi & militiae inſerviiſſe putanda eſt; minus placet, quod & caedendis victimis eſſe adhibitam & a lictoribus in faſces inditam MOLINETUS adjicit, invitis monumentis. (*p*) Secunda parum a primae forma differt. v. fig. XII . . . Tertia cuneo quam ſecuri ſimilior, ni ſuperius cava & a latere annulo eſſet praedita. v. fig. XIII.

 Caete-

(*k*) FOUGEROUX DE BONDAROIS *ſur les découv. de l'Herculane* p. 56.

(*l*) in *Pſeudolo* I. 3. 98. & *Trin.* IV. 2. 163.

(*m*) in *Aug.* c. 91.

(*n*) *Recueil* T. II. Pl. XCII.

(*o*) l. c. pag. 19.

(*p*) v. MONTFAUCON. *Antiq.* T. III. Pl. XIV. VAILLANT in *NN. famil.*

Caeterum ne quis miretur, his etiam inſtrumentis materiem ab aere non ferro paratam, notari illud velim, omne fere inſtrumentorum genus olim aeneum fuiſſe, ut vel ex iis, quae hactenus recenſita ſunt, cuivis patere poteſt. Norant priſci aes eo modo durare, quo nos nunc ferrum, ut chalybs evadat; quod idem Peruvianis barbaris tribuere quoſdam videmus. (q)

STRIGIL. accedunt *TUBI E BALNEO*

Aenea & *ſtrigilis* eſt, balnei miniſterio olim dicata; fig. XIV. Similes alias MONTEFALCONIUS (r) offert.

Balnei mentionem dum facimus, *tubuli* etiam ex argilla cocti memorandi ſunt, quos ex *balnei Buxovillani*, a. 1739 detecti, parietibus accepimus. Eos forſan rectius ſupra in *Lapidarium* retuliſſemus. Formam in *fronte* hujus *Vaſarii* exhibemus. Eandem ſimul cum ſtruendi modo *Alſ. Ill.* (s) oſtendit. Oppido ſimiles dant BRUCKNERUS (t) & SCHMIDIUS. (u) » Horum tuborum ope calor ad ſummitatem uſque parietum aſcendere poterat & incluſus aliquandiu teneri. Appoſite STATIUS: (x)

» languidus ignis inerrat
» aedibus & tenuem volvunt hypocauſta vaporem.

MATRICES MONETALES

Nummos in Romana gente eſſe cuſos, ſtatim artis ipſius

(q) v. *le Philoſ. la douceur* dans ſes *obſervations ſur l'Amerique.*

(r) T. III. Pl. CXXVI.

(s) T. I, tab. XV, cf. p. 539.

(t) *Merckwürdigk. der Landſchaft Baſel*, *Xtes Stück* p. 1126.

(u) *Antiq. de Culm.* Pl. III. cf. pag. 85.

(x) *Sylvarum* L. I, carm. V. v. 57.

ipſius & artificum nomina declarant, ſic *cudi*, *ſignari*, *percuti*, *feriri* dicebantur nummi, idque *ſignatorum*, *ſuppoſtorum*, *malleatorum* ope. (*y*) Eodem inſtrumenta ſpectant, in noto ex Cariſia gente nummo (*z*) expreſſa, incus, forceps, malleus, itemque typus ſupra incudem conſpicuus, quem lepide ſatis vulgo cum VAILLANTIO (*a*) pileum ſalutant. Verum, quid graculo cum fidibus aut pileo cum incude? Alii pro catillo habent, metallis excoquendis adhibito. Nobis typus videtur cudendo nummo aptus, vulgo *coin*, *ſtempel*, ſalutatus. Id ita eſſe, fidem, ni fallor, facient ſimiles fere typi aenei, conicae formae, Nemauſi a. 1739 inventi, quorum fata & uſum docet CAYLUS, (*b*) figuram oſtendunt *Commentaria elegantiorum litterarum Pariſina*. (*c*) Superſunt & alii in muſeo S. Genovefae, quos MOLINETUS (*d*) exhibet, ex aere an ferro, haud indicat. (*e*)

Verum praeter cudendae monetae matrices inventae ſunt paſſim & fundendae. DU POIS (*f*) ſuo tempore Lugduni detectas teſtatur; ineunte hoc ſaeculo ibidem ex monte *Fourvières* erutae feruntur aliae, ex argilla effictae, quas exponit & repraeſentat CAYLUS. (*g*) Iis acceſſere aliae, optimi viri nobiſque dum viveret amiciſſimi, HARSCHERI Baſilienſis ſollerti cura. Is a. 1761 in Auguſtae Rauracorum ſolo monetalis officinae haud

T 2 dubia

(*y*) v. GRUTER. *Inſcr.* p. MLXX. 1. cf. REINESII *Synt.* XI. 30.

(*z*) v. VAILLANT *NN. fam.* g. Car. n. 14. 15.

(*a*) Ib. p. 233.

(*b*) *Recueil d'Antiq.* T. I. p. 284.

(*c*) T. XIV. ad p. 105. cf. & CAYLUS Pl. CV.

(*d*) *Cab. de S. Genev.* p. 117.

(*e*) HARSCHERUS refert ferreos eſſe.

(*f*) *Diſcours ſur les Médailles.* cf. SAVOT *Diſcours ſur les Méd. antiq.* P. I. Ch. 6.

(*g*) *Rec. d'Antiq.* T. I. Pl. CV. cf. & *Mémoires de Trévoux.* 1704. p. 1213.

dubia rudera una cum matricibus argillaceis, in capsa nunc plumbea, nunc ferrea inclusis, invenit. Utraque brevi sed perspicua dissertatione exposuit, (*h*) quam ejus dono debemus. Simul iste de rei monetalis cognitione, qua ad unguem erat imbutus, opus sese moliri memorata diatribe indicarat, qua spe nos cita ipsius mors frustravit; paucis enim mensibus ante SCHOEPFLINUM nostrum, cui in primis carus erat & acceptus, fato est functus. Demum HARSCHERO prior similem e creta matricem obtulerat FICORONIUS, (*i*) qui praeterea & alias diversarum figurarum e creta, argilla, marmore efformatas matrices in eundem locum congessit.

Sed ad nostras accedamus, Lugduno allatas, monetalis ejus urbis magistri beneficio. Duplicis illae generis sunt. Statim enim nobis adest tabula ex argilla alba confecta, lata poll. 3. lin. 4. longa poll. 3. l. 10. aversas quinque nummorum complexa, victoriam alatam referentium, dextra coronam sinistra palmam tenentem, absque epigraphe, quod non mirum erit illis, qui in nummis id nonnunquam occurrere noverint. Hanc matricem Tab. XV. fig. I. videre licet, ubi observabis duo foramina, quae partis adversae, caput SEPTIMII SEVERI absque dubio referentis, (*k*) respondebant umbonibus, quorum ope ubi ambae cohaesissent partes, poterat matrix argentum aliamve materiam flandae monetae aptam recipere, aperto ductu in ramos discedente.

Sic

(*h*) Libelli titulus iste: J. H. HARSCHERS *vorläufige Beschreibung einer von ihm bey dem Dorfe Augst entdeckten Münzwerkstätte und der daselbst gefundenen Münzmödeln.* 8. Prostat haec dissertatio & separatim & in BRUCKNERS *Merkwürdigk. der Landschaft Basel.* p. 2813 sq.

(*i*) in *Piombi Antichi* in Roma. 1740. 4. p. 167.

(*k*) Iste SEVERI nummus recensetur apud MEDIOBARBUM.

Sic a reliquis nummorum matricibus, paulo ante recensitis, haec nostra forma sua differt; contra ad eas proxime accedit, quas FICORONIUS n. 1 - 4 exhibet.

Verum & ex altero genere adsunt, prorsus iis gemellae, imo vero ex iis ipsis, quas CAYLUS (*l*) describit & offert. Tres tesserae scilicet argillaceae, 2 fere lineas spissae, diametri pollicis unius, hinc anticam inde posticam sed diversorum nummorum exhibent, sibi eo consilio impressas, ut apte secum & cum pluribus, sibi vel impositis vel suppositis, junctae & extrinsecus luto vel terra probe cinctae uno flatu seu una fusione plura simul numismata excluderent. In eum finem ductum vel sulcum singulae exhibent. Ipsam flandae sic monetae operam ex CAYLI schemate nemo non perspiciet. Nostras has matrices supra in *fronte* hujus *vasarii* locari jussimus. Hic illarum typum damus, ex quo patet, ut diximus, ex illis esse, quas CAYLUS ipse jam suppeditavit.

SEVERVS PIVS AVG. Caput Severi laureatum.
VICToria. PARThicus MAXimus. Victoria gradiens f. coronam d. palmam.
ANTONINVS PIVS AVG. protome ej. laureata.
IVNO Juno stans velata f. pateram d. hastam, ad pedes pavo.
IVLIA MAESA AVG. protome ejus.
FELICITAS PVBLICA statua muliebris togata, d. CC. f. Caduceum.

Facile nunc quivis intelligit, aversam harum matricum ad alios spectare nummos, quam adversam, sive po-

 sticam

(*l*) l. c. cf. & *Hist. de l'Acad. des B. L.* T. III. p. 218.

ſticam prioris pertinere ad anticam poſterioris, primam anticam autem & ultimam poſticam alias reſpicere matrices, quae ad nos non pervenere. Dein hinc pronum eſt perſpicere, qui fieri potuerit, ut typi diverſorum nummorum ſecum confunderentur invicem; confuſo ſcilicet vel turbato matricum ordine id evenire frequenter debebat.

In definiendo uſu harum matricum diſſentire doctos perſpicio. SAVOTUS (*m*) cum aliis nummos eoſdem ſic prius ab iis, qui *flaturarii* dicebantur *auri & argenti monetarum*, flatos, dein cuſos eſſe exiſtimat; MAHUDELIUS (*n*) in officinis publicis ſemper cuſos, a falſariis harum matricum ope fuſos cenſet, eoque *Legem 3. tit. 21. Codicis Theodoſiani* trahit, CAYLO (*o*) Romani florente imperio monetam cudiſſe, reliquam perturbato etiam rerum ſtatu, verum argenteam tum frequenter adhibitis matricibus noſtris flaviſſe vel fudiſſe videntur. Fit hoc autem eo magis vero ſimile, quod & omnes argillaceae hactenus inventae matrices ex aevo SEPTIMII SEVERI & ſequentium Imperatorum deprehenſae ſunt, nam ANTONINUS nobis memoratus CARACALLA intelligendus eſt, & moneta argentea ejus aevi fuſae magis quam cuſae formam refert. Accedit, quod HARSCHERUS officinam, a ſe detectam, olim publicam fuiſſe probabile reddiderit, qui porro peculiari matricum inde erutarum forma in eam eſt opinionem adductus, fuſum recens nummum mallei ictu, in matricis ferream capſam demiſſo, adcuratiorem formam recepiſſe; cujus rei veſtigia in exteriori capſarum facie animadverſa narrat. *AERA-*

(*m*) *Diſcours ſur les Med.* p. 31.
(*n*) *Hiſt. de l'Acad. des B. L.* T. III. p. 218 ſq.
(*o*) l. c. p. 288.

AERAMENTA USUS INCERTI

Quid certi de uſu *circulorum* ex aere dicam, quos ſextuplici ordine acuminatorum nodorum diſtinctos ſervamus, non habeo. Illorum alter Tab. XV. n. II. comparet, cui ſimilem CAYLUS (*p*) exhibet, & pro flagelli genere reputat, quo ad caſtigandos ſervos, fune trajecto, uſi ſint veteres. MONTEFALCONIUS etiam ſimilem annulum offert, (*q*) quem ad inſtrumentum aliquod ſpectaſſe perhibet.

Illius, quod n. III damus, militare CAYLUS exiſtimat (*r*) miniſterium fuiſſe, ornamenti loco in ſummitate haſtae adfixi.

TESSERAE ET TALI

In variis veterum ludicris haud poſtremum locum *teſſerae* atque *tali* occupant, quos probe diſtinguere a ſe invicem convenit. *Talus*, calcanei malleolus diverſorum animantium, graecis ἀςράγαλος, & tempori ludis fallendo & inſtituendae divinationi inſerviit. Inde dictus ἀςραγαλισμὸς, quem & MEURSIUS (*s*) exponit, & ſtatua elegans apud FICORONIUM (*t*) repraeſentata, itemque nummus, ab eodem ex SEGUINO (*u*) deſumtus, declarant. Poſteriorem uſum ἀςραγαλομαντεία prodit, POTTERO (*x*) memorata: huc forſan apud Romanos trahendus ritus, HORATIO (*y*) decantatus, quo in conviviis *regna vini ſortiebantur talis.*

Teſſera,

(*p*) *Recueil* T. II. Pl. XCIV.

(*q*) *Ant. Suppl.* T. III. Pl. LXV.

(*r*) ib. T. III. Pl. LXVII. VI. ubi geminum noſtro profert.

(*s*) *de ludis Graecor.*

(*t*) *de'i tali ed altri ſtrumenti luſori degli ant. Romani.* 4. in Roma 1734. pag. 148.

(*u*) in *Num. Sel.* p. 14.

(*x*) in *Archaeologia Graeca* L. II. c. 16.

(*y*) L. I. *Ode* 4.

Tessera, a quadrangula facie, (z) quam ex omni parte offert, ita vocata aptiori voce κύβος salutata est apud Graecos. Ejus usus in alveolo erat, multis exponitur a FICORONIO. Jam tesseras talosque suis nonnunquam ad Inferos comites dedere veteres, cujus rei exemplum supra in urna heic eruta vidimus. Aliam tesseram Tab. XV. n. IX. exhibet, itemque talum n. XIV.

INSTRUMENTA MILITARIA

ARMA

Hastae ferrum simplex fig. XI. Tab. XV sistit, *duplex* fig. X, utrumque aeneum, qualia & MONTEF. (*a*) Prius longum est pollic. 9. lin. 10, posterius ped. 1, illius pondus respondet librae dimidiae, hujus libris $2\frac{1}{4}$. . . Deinde *inferius* etiam *hastae ferramentum* n. XIII sistimus; & *spiculum ferreum* n. XII.

Demum *gladii* antiqui & *pugiones* adsunt. In his est, cujus forma proxime ad formam illius accedit, quem adjacentem Mercurio *Picturae Herculan.* (*b*) offerunt.


SUBSCUDES E MURO CASTRENSI ODILIANO

Dum bellicam supellectilem describimus, non licet silentio involvere *ligneas subscudes*, quibus *muri Castrensis Odiliani* lapides olim juncti fuerant; imo ex parte hodieque juncti restant. Earum nonnullas inde ablatas in museo servamus. Delineari de novo noluimus; cui lubet


(z) GELLIUS *Noct. Att.* L. I. c. 20.

(*a*) *Antiq.* T. IV. Pl. XXV.

(*b*) T. III. Tav. XII.



Weis ſc.



Weis sc.

lubet, in *Alſ. Ill.* (*c*) luſtrare poterit, ubi ſimul uſum earum inveniet. » Saxa, ſcilicet, ut cohaererent, ſu-» perficiebus ſeſe tangentibus inciſa fuit caudarum hi-» rundinearum figura, cui quercea ejuſdem figurae » ſubſcus, ſive ſecuriculae geminatae tabella, 8 polli-» ces longa, 2 lata, unumque in craſſitie pollicem ha-» bens, inſerta eſt; quae duos lapides, uti in magnis » trabibus bipennes, ita conjungit, ut ubi ſubſcudes » adhuc ſuperſunt, ibi ſuperior lapis non recta pro-» volvi, ſed tolli modo poſſit, atque ab inferiore avelli.

ARMILLAE

Militum virtutem ab Imperatoribus ſaepenumero phaleris, haſtis, coronis, torquibus, *armillis* eſſe penſatam, frequenter & ſcriptores antiqui (*d*) & lapides (*e*) commonſtrant. Armillas dabant aureas, argenteas, aeneas. Harum nos duas proferimus, Tabula XV, n. VII & VIII expreſſas. Alias permultas MONTEFALCONIUS (*f*) exhibet.



U SUPEL-

(*c*) T. I. Tab. XIV. cf. p. 533.

(*d*) v. PLINIUS *Hiſt. Nat.* L. VII. c. 29. & L. XXXIII. c. 10 ſq. LIVIUS L. X. c. 44.

(*e*) v. GRUTERUS *Theſ. Inſcr.* p. CCCL. 1. CCCLXV. 5. 6. CCCXCI. 4. FABRETTUS *Inſcr.* III. 469.

(*f*) T. III. Pl. XXXI. ſq.

SUPELLEX ROMANA

EX USU CHRISTIANORUM

CALIX MARTYRII

Martyrum ſanguinem ab iis, qui eandem fidem ſequebantur, exceptum lectumque ſervari ſueviſſe, vaſisque recondi, vix dubitare licet. Etiamſi enim GREGORIO TURON. (*g*) adſtipulari nequeam, ſanguinem Johannis Baptiſtae & B. Stephani ſic eſſe hauſtum referentis, aliis tamen exemplis & documentis ea res conſtat. In his PRUDENTII fides ſuſpecta eſſe nequit. (*h*) Quid, quod vaſa innumera, ſanguine laudato tincta paſſim oſtenduntur? Sunt quidem in his, quae non omnium aſſenſu comprobantur; (*i*) aſt quae in ſepulcretis ſubterraneis Romae magna copia deprehenduntur vaſcula omnis generis, rufo colore intus operta, (*k*) ea martyrum ſanguine imbuta eſſe, vulgaris opinio eſt. Deſcribunt iſta ARRINGIUS (*l*), BOSIUS (*m*) aliique, item BOLDETTIUS (*n*), qui multiplicem iſtorum formam offert: ubi illud notari meretur, lacrymatoria etiam, vulgo ſic dicta, eidem uſui inſerviiſſe.

Vaſcu-

(*g*) *de Gloria Martyrum* Cap. 12.

(*h*) *Peri ſteph. hymn.* 10 & 11. v. 3033 ſq. & 3473 ſq. cf. BOSIUS in *Roma Sotterranea* L. I. c. 14. p. 14.

(*i*) Qualia ſunt, quae refert BOLDETTIUS L. mox citando paſſim.

(*k*) Vel noſtro aevo talia reperiri, inter alios pictoris haud incelebris, MANNLICHII, epiſtola ad ſororem a. 1767 tranſcripta, Romae data, teſtatur, quae apud nos circumfertur.

(*l*) in *Roma ſotterranea* L. III. c. 22. & L. IV. c. 43.

(*m*) l. cit. cf. & L. III. c. 23.

(*n*) in *Oſſervazioni ſopra i cimiteri de' ſſ. Martiri ed antichi Chriſtiani di Roma.* in Roma, fol. 1720 ubi vid. L. I. c. 30 39. Ceterum is liber in Bibliotheca Schoepfliniana dono auctoris extat.

Vasculum, quod Tab. VIII. n. VIII. exhibemus, vitreum in istis coemeteriis, *catacumbas* barbara voce dicunt, SCHOEPFLINUS ipse, cui tum dux aderat BOLDETTIUS celebris de hoc argumento scriptor, ad dimidiam sui partem muro insertum invenit, indeque extractum accepit. Altum est pollices 2 lin. 4, diameter ejus est pollicum 3 lin. 4. Interiorem superficiem sanguine tectam ostendit.

Verum ista rubedo e sabulo forsan rubicundo aut pulvere rufo, ex terra istorum sepulcretorum derivato originem traxit, quod si sit, ejusmodi vasa ad continendos suffitus aut odoramenta apposita fuisse videri possent. Movit hoc dubium MABILLONIUS (*o*), in cujus sententiam ipse BOLDETTIUS (*p*) adjicit, similem sic fore errorem illi, quo sanguineis pluviis olim credula mortalium mens est decepta. Verum, quae contra FABRETTUS atque BOLDETTIUS afferunt, omnino rem videntur conficere. Statim enim, ut alia mittam, in diversis circa Romam regionibus, in quibus varius est terrae color, ut in coemeterio Pontiano flavus, in Priscillae niger, idem color in vasculis est deprehensus. (*q*) Dein & spongiam in aliquo vase haerentem esse repertam, referunt. (*r*) Porro in nonnullis vasculis verba expressa fidem augent, ut S̃A SATVRNĨI, quod putatur significare *sanguinem Saturnini*. (*s*) Demum

---

(*o*) in *Epist. Euseb. Rom.* n. 4.

(*p*) ex CICERONE *de Divinatione* L. II. c. 27.

(*q*) V. FABRETTI *Inscr.* p. 556.

(*r*) cf. BOLDETT. L. I. c. 31.

(*s*) BOLD. & BOSIUS l. c. simile quid habet MURATOR. in *Thes. Inscr.* T. I. p. CCCLXVI. 1.

Cel. LEIBNITIUS (*t*) chymiae opera, ruboris ejus caussam ad regnum animale referendam esse, extra dubitationis aleam posuisse putatur, cujus verba haec sunt: » venit mihi in mentem uti solutione salis Ammoniaci,* » ut vocant, in aqua communi, ac tentare, an ejus » ope aliquid a vitro separari atque elui posset. Id ve» ro subito & supra spem successit. Indeque nata no» bis merito suspicio est, sanguineam potius materiam » esse, quam terrestrem seu mineralem, quae vi cor» rosiva praedita tanto tempore altius in vitrum for» tasse descendisset, nec lixivio tam subito cessisset.


(*t*) in epistola ad FABRETTUM missa. v. FABRETTUS c. 8. pag. 556. & BOLDETT. L. I. cap. 38.


* apud FABRETTUM est *Armeniaci*, per errorem, ni fallor. Nec rectius apud BOLDETTIUM *Armoniaci*.




SUPEL-

TAB. XVI.


















Weis sc.

SUPELLEX GALLICA

EX AEVO GALLICO

SECURIS LAPIDEA

Securim ex aere fuiſſe in bello adhibitam, ex iis, quae paullo ante dicta ſunt, clare pateſcit. Verum & *lapideis* barbarico ritu Galli veteres in acie ſunt uſi, id quod haud paucis exemplis comprobatum eſt. In Normannia a. 1685 repertae ſunt ſecures ex pyrite lapide itemque e lapide Orientali duriſſimo, longae poll. 6 vel 7, latae poll. $1\frac{1}{2}$, capitibus ſepultorum olim ſuppoſitae. (*u*) Haud abſimiles iis ſunt, quas inventas Pariſiis (*x*) MAHUDELIUS oſtendit SCHOEPFLINO, in cujus muſeum ea occaſione etiam fragmentum earum aliquod dono laudati viri migravit; longum eſt pollices 6, latum 4.

EX AEVO FRANCICO

THESAURUS SEPULCRALIS VIRODUNENSIS

Meroveadum Regum Ducumque ſepulcra, omnis faſtus ac magnificentiae penitus expertia, intra tumulos e lapidibus exſtructos regiam Ducalemque ſupellectilem domeſticam ex parte & militarem itemque ſacram conſueverunt recondere; (*y*) quod variis documentis patet. U 3 *Chilpe-*

(*u*) teſte MONTEFALC. in *Diario Italico* p. 440 ſq.

(*x*) cf. & MONTFAUCON *Antiq. Expl.* T. V. p. 194 ſq.

(*y*) v. DOM MABILLON *Differt. ſur les anc. ſepultures de nos Rois* in *Mémoires de l'Acad. des B. L.* T. II. p. 684 ſq. & in *Ouvrages poſtumes de* MABILLON T. II.

Chilperici, regia ſtirpe progeniti & ipſius forſan uxoris tumuli, a. 1643 in Abbatia S. Germani de Pratis detecti, Servatoris e cruce pendentis effigiem & lucernam obtulere, utramque aeneam. (*z*)

A. 1646 ibidem fere loci ſarcophagi lapidei, *Childerici II*, *Bilichildis* Reginae & *Dagoberti*, ipſorum filii, oſſa complexi, quum e terra prodiiſſent, inventa eſt mira vaſorum & ſupellectilis copia; ſcilicet Regiorum veſtimentorum haud dubia rudera, taenia aurea in modum coronae; imo decennio poſt ibidem regis gladius, cingulum, fibula quaedam ex obryzo, ſceptri fragmina & quod probe animadvertas, vitreum vas, fragrantes odores, quibus olim fuerat refertum, vel tum exhalans. (*a*)

Locupletior etiam feralis apparatus *Childerici I*, a. 1653 Tornaci detectus, fuit, quippe qui inter multa alia, a *Chifletio* (*b*) prolixe memorata, ſoleam ferream equi detritam, fibulas & apes aureas, vaſculi ex achate gemma fragmentum, nummos quam plurimos, ferreum haſtae ſpiculum, gladium Regis, frameam, ſecurim, quam Franciſcam vocare mos eſt, & annulum principis nomine inſignitum, continuit. (*c*)

Cognitis his dudum ſepulcralibus Francorum theſauris novum nunc addimus, memoratu quam maxime dignum, muſei noſtri haud ſpernendum decus. Is liberalitate Togati per Metenſem, Tullenſem, Verodunenſem

(*z*) MABILLON l. c. p. 694. & MONTFAUCON *Monumens de la Monarchie Françoiſe* T. I. p. 175.

(*a*) v. Id. p. 693 & MONTFAUCON l. c. T. I. p. 173. ubi primae detectionis tempus refert ad a. 1645.

(*b*) in *Anaſtaſi Childerici*, Antw. 1655. 4. cf. & MABILLON l. c.

(*c*) Ea monumenta repraeſentantur apud CHIFLETIUM paſſim & apud MONTFAUCON l. c. T. I. Pl. IV - VI.

ſem tractus Praefecti Regii, *Illuſtriſſimi* DE CREIL, in muſeum hoc pervenit.

Detectus eſt a. 1740. Scilicet milliaris unius ſpatio ab oppido Viroduno, quod ad Galliam Belgicam ſub Romanis ſpectarat, ad Auſtraſiae Regnum ſub Francis, haud procul a via publica, quae Divodurum in Mediomatricis ducit, lapicidina eſt ad Moſae ripam. Ex ea quum anno laudato operarii lapides conquirerent, quibus via publica reparari poſſet, in ſepulcrum inciderunt, ex quo praeter nummos forſan & alia operariorum fraude diſtracta, in lucem venere corona, galea, haſtae ſpiculum, ſecuris Franciſca, framea, gladius, circuli quidam diffracti, lanx ſive ſcutella, quae omnia in eadem Tabula XVI, luſtranda exhibemus. Pauca de ſingulis.

Corona, n. I, ex aere inaurato confecta eſt, & formam diadematis habet, cui arcus ſemicircularis impoſitus eſt, non ſtabilis tamen, ſed in utramque partem mobilis; diameter coronae eſt pollicum 8 lin. 10, altitudo hemicycli pollicum 7, lin. 10. Reſidua hodieque duri corii fragmina, quae inter aeramenta viſuntur, dubio procul pileum vel ſimile capitis integumentum interius coronae fuiſſe ſubjectum & affixum teſtantur.

Haec coronae forma, hemicyclo excepto, cum ea fere convenit, quae in tabulae Ravennatenſis muſivo opere Juſtiniani I. Imp. tempora cingit. (*d*) Similior etiam eſt, ſemicirculo itidem inſtructa, qua Byzantini Principes, Tiberius, Mauricius, aliique in nummis condecorati

(*d*) V. ALEMANNUS in *notis ad Vet. Monum. Muſivi operis* P. II. *hiſt. arc. Procopii* p. 77. CIAMPINII cap. 9. p. 73.

decorati ſiſtuntur. (*e*) Simile forſan diadema fuit, quod Chlodoveo I Anaſtaſius Imp. transmiſit. (*f*) Simile Dagobertus capite gerit in ſigillo Diplomati cuidam in tabulario S. Maximini Trevirenſis affixo. Similem coronam Dagoberto Regi tributam in theſauro ſuo recondit Monaſterienſis Abbatia in valle S. Gregorii. Similem tandem & quidam ex poſtremis Merovingis geſtat in ſtatuis frontiſpicii eccleſiae S. Dionyſii, (*g*) quae, etſi poſterioribus ſaeculis conditae ſint, tamen ex vetuſtioribus expreſſae videntur.

Ceterum id capitum decus antiquiori aevo aliud longe fuerat. Statim enim linteo diademate tempora reges cinxere, cui corona ſucceſſit, vel ex lauro vel ex metallo, ad diadematis formam effiЌta. Hanc primo planam & minus ornatam geſtarunt, donec ſuperiorem ejus oram radiis, dein trifoliis ornarent principes, unde tandem prodiere lilia. Coronali circulo, quinto forſan ſaeculo, imponi coepit hemicyclus, qualis in noſtra corona. Poſterius aevum iſti primo alterum decuſſatim ſuperadditum vidit, clauſae tandem coronae originem. Imo deinceps crux ſuperimpoſita.

Demum Merovingico aevo Duces non minus ac Reges coronis uſi videntur. Saltem id corona aenea inaurata, a. 1731 in inſula Rodo (*Ré*) inventa & ab Academicis Pariſinis Eudoni Aquitaniae Regi attributa, (*h*) videtur arguere. Apud Germanos medii aevi idem deprehendit ECKHARTUS (*i*). *Caſſidis*

(*e*) v. DU CANGE in *famil. Byzantinis* p. 102. 104 ſq.

(*f*) de ejus forma diſſentiunt BOUTEROUE, DU CANGE, LE BLANC: GREGORIUS TURONENSIS diadema appellat. L. II. c. 38.

(*g*) MONTF. *M. de la M. Fr.* T. I. Pl. XVIII.

(*h*) v. *Mémoires de l'Acad. des B. L.* T. IX. p. 176.

(*i*) *Erklaerung des Ebneriſchen Kleinodien-Kaeſtleins*, 4. Nurnb. 1725.

Caſſidis ferreae, n. II. ora inferior diametrum habet 7 digitorum, interior pars ſive pileus pollicum 5, profundus eſt hic poll. 2. lin. 5. Ornamenta vel pridem delapſa vel ablata ab iis, qui haec monumenta invenerant, periere. Argento fuiſſe tectam caſſidem, lamellae rotundae ſive bracteolae argenteae, quae reſtant, indicare videntur. Proinde quaenam fuerit ejus caſſidis forma, haud facile dictu eſt; forſan parum ab ea abluſit, quam in *columna Trajana* (*k*) & *Antonina* (*l*) videre licet.

Succedunt arma, Francico militi, GREGORIO TURON. teſte, (*m*) conſueta. *Haſta* vel *lancea*, cujus aeneum ſpiculum adeſt, longum poll. 8. lin. 3. Repraeſentatur n. IV. Simile Romani militis itidem aeneum exhibuimus ſupra Tab. XV. Simile in Childerici tumulo inventum, minus tamen quam in noſtro ſervatum, male, ut puto, a CHIFLETIO cum framea confunditur; ſimile & in Childerici annulo ad dextrum ejus regis latus comparet, (*n*) itemque in nummis Byzantinorum Impp. (*o*)

Securis, v. n. V. ex ferro, longa eſt poll. 6. lin. 6. Haec ex una tantum parte ſecabat; vulgo *bipennis* apud Francos erat in uſu. (*p*) Utraque, promiſcue nonnunquam bipennis dicta, pro Francica ſalutata *Franciſca* ab Hiſpanis, ut ISIDORUS (*q*) refert, prorſus ut apud

X AIMOI-

(*k*) v. BARTOLI *icones* Tab. 2. 8. 10 ſq.

(*l*) v. BARTOLI *icones* Tab. 7. 9. ſq.

(*m*) ubi de milite ſcribit, quem Chlodoveus ipſe occidit. L. II. c. 27.

(*n*) v. CHIFLETIUS in *An. Child.* p. 96. cf. DANIEL *de la Milice Franc.* L. I. c. 1.

(*o*) v. DU CANGE in *famil. Byzantin.* p. 27. 31. 84. &c.

(*p*) v. AGATHIAS *de Rebus Juſtiniani Imp.* L. II. p. 40. ubi graece πελέκεις ἀμφιστόμους dicit.

(*q*) *Origin.* L. XVIII. c. 6. cf. & *Anonym. de geſtis Francor.* loco mox citando.

AIMOINUM (*r*) Carolus Calvus ſcribitur veniſſe habitu Franciſco. Ex hac voce ſucceſſu temporis vox *François* eſt exorta. Sed haec in tranſitu. Bellicus ſecuris & bipennis uſus apud varias gentes deprehenditur, Amazones, (*s*) Hetruſcos, (*t*) alios, itemque Francos, (*u*) quorum Rex Chlodoveus ſceptri loco etiam illam adhibuit. (*x*). Quin & recentioribus ſaeculis ab ſecuri non abſtinuere Angli, Germani aliique. Sic in pugna ſolitaria a. 1314 ROB. BRUSIUS, caput HENRICI BOHUNII ſecuri diffidit. (*y*) In nummis ſuis MAURITIUS Dux Saxoniae haſtae loco ſecuri ſiſtitur armatus. (*z*)

In ſepulcra heroës eſſe & hoc armorum genus ſecutum ex Childericiano (*a*) conſtat, de quo ſupra. Lapideas etiam ſecures, capitibus mortuorum ſubjectas, inventas eſſe prope Lutetiam docuimus paulo ante. (*b*)

Framea, ex ferro, longa ped. 1 ½, quam n. VII conſpicis, etiamſi ſit, ut cum VIRGILIO (*c*) loquar:

» exeſum ſcabra rubigine telum »

ſat integra tamen ſervata noſtro ſepulcro propria eſt, in reliquis enim nulla eſt inventa. Francicum id etiam telum fuit. Ea, ſive cominus ſive eminus pugnarent, frequentius uſos Germanos quam gladio aut lancea, auctor eſt TACITUS. (*d*) Quin & inter dona fuit, quae maritus uxori afferebat & juvenes framea donabantur,

(*r*) L. V. c. 33.

(*s*) MONTFAUCON *Ant.* T. IV. Tab. XIV.

(*t*) BUONAROTA ad DEMPSTERUM T. I. Tab. XXI.

(*u*) Ipſi in Lapidario p. 23 & Tab. II. exemplum dedimus.

(*x*) v. *Anonym. de geſtis Francorum* c. 17. apud DU CHESNE *Scriptor. hiſt. Franc.* T. I. p. 704. & DANIEL l. c.

(*y*) v. HUME *hiſt. d'Anglet.* ad a cit.

(*z*) v. *Bayeriſch Münzbuch* fol. 1597. p. 17.

(*a*) CHIFLET. l. c. p. 210.

(*b*) pag. 141.

(*c*) *Georgic.* L. I. v. 495.

(*d*) *de moribus Germanorum* c. 6 & 18.

bantur, ut apud Etrufcos & Romanos toga. Nominis etiam Germanica ratio, *Pfriemen* vel Belgice *Priem* (*e*) proprie dicti. *Bremen* Germanis fuit pungere. (*f*) Emendandus hic ISIDORUS, (*g*) qui frameam male interpretatur gladium ex utraque parte acutum; itemque CHIFLETIUS, qui cum hafta eandem putat.

Gladii quod reliquum eft, v. n. VI, fuiffe ancipitem, fat latum longumque docet.

Quo refpexerint *circulorum* duorum, quorum diameter 8 fere pollices continuit, fragmina, ex quibus n. VIII duo damus, non liquet. Ex aere fuerant, alti lineas 3.

Tandem, quid de *lebete*, five *patina* judicandum, videamus. Ea n. III expreffa aenea eft, deaurata, non caelata, rotunda, cavata, tripes, duabus anfis mobilibus inftructa, diam. ped. 1. lin. 3. alta poll. 4½. Comparari poteft cum alia ornatiori apud CAYLUM, (*h*) itidem ex aere, alta poll. 8, diam. ped. 1½, itemque cum illa, quam *picturae Herculan.* (*i*) exhibent. Quin turibulum (*k*) dicam, vix ambigo. Ejus ufus apud Judaeos, Graecos, Romanos in facris invaluit; nec minus apud Chriftianos, quibus folemne olim fuit, ut in fuorum fepulcris » aquam benedictam ac prunas cum ture apponerent." (*l*) Hunc morem, qui Saec. XIII in defuetudinem abiit, (*m*) prioribus faeculis viguiffe, vafcula multa figlina, in fe-

pulcris

(*e*) v. KILIANUS in *Etymologico Belgico* hac voce. Idem *priemen* exponit premere, pungere.

(*f*) WACHTER in *gloffario* voce *Pfriemen*.

(*g*) *Originum* L. XVIII. c. 6.

(*h*) *Recueil d'Antiq.* T. III. Pl. CXVII. IV.

(*i*) T. III. p. 9.

(*k*) exhibet aliud cum operculo LA CHAUSSE in *Mufeo Romano* Sect. III. tab. 9. ad quam pag. 7. refert, „ turibuli imaginem neque in „ marmoribus, neque in nummis re„ periri.

(*l*) Id de Saec. XII JOH. BELETHUS de *divinis officiis* docet cap. 161.

(*m*) Quod ex WILH. DURANDI ver-

pulcris Gallicis ſubinde inventa, teſtantur; (*n*) fragrantes odores etiam vitreis vaſis in tumulis eſſe reconditos, ſupra Childerici II tumulus docuit. (*o*) Rem proinde acu me tetigiſſe putarim, ſi quidem lancem noſtram ad ſuffumigandum tus ex Chriſtiano ritu monumento ſepulcrali illatam dixero.

Cujus Principis aut Regis lugubris iſte apparatus fuerit, haud ita facile eſt oſtenſu. Temporibus Childericiano aevo vicinis vindicandum eſſe, ſupellectilis ſimilitudo videtur evincere. Dolendum ſane, nullam temporis notam deprehendi in noſtro. *Childerici I* tumulus & nummos oſtendit ſui aevi, & annulum ipſius regis nomine inſculptum. (*p*) In *Childerici II* ſepulcro inventae ſunt litterae CHILDR REX. (*q*) *Chilperici* feralis theſaurus lapidi inciſa iſta obtulit: (*r*)

TEMPORE NVLLO VOLO HINC TOLLANTVR OSSA HILPERICI. Item PRECOR EGO ILPERICVS NON AVFERANTVR HINC OSSA MEA.

Itaque

bis fere colligas. Is in *Rationali Divin. offic.* L. VII. c. 35. haec habet:
„ Deinde ponitur in ſpelunca, in qua
„ in quibuſdam locis ponitur aqua be-
„ nedicta & prunae cum ture. Aqua
„ benedicta, ne daemones, qui multum
„ eam timent, ad corpus accedant, ..
„ tus, propter foetorem corporis re-
„ movendum, ſeu ut defunctus creato-
„ ri ſuo acceptabilem bonorum ope-
„ rum odorem intelligatur obtuliſſe,
„ ſeu ad oſtendendum, quod defun-
„ ctis proſit auxilium orationis; car-
„ bones, in teſtimonium, quod terra
„ illa ad communes uſus amplius re-
„ digi non poteſt. Plus enim durat
„ carbo ſub terra, quam aliud.

(*n*) v. MABILLON in *Ep. Euſebii Rom.* ſec. ed. p. 17. & *hiſtoire de l'Academie des B. L.* T. IX. p. 179. ubi multa talia vaſa a. 1731 in ſepulcris ſubterraneis ſub eccleſia de Chaſtenay ſous Baigneux inventa eſſe refertur. Vaſculum carbonibus plenum inventum Altiſſiodori a. 1728 in ſarcophago narrat LEBEUF in *Diſſ. ſur l'hiſt. de Paris* T. I. p. 292.

(*o*) pag. 142.

(*p*) v. CHIFLETIUS in *An. Child.* p. 96. & MONTFAUC. l. c. T. I. Pl. IV.

(*q*) v. MABILLON l. cit.

(*r*) cf. MABILLON & MONTFAUCON ll. ſupra citt.

Itaque cum his ſi theſaurus noſter conferatur, deterioris conditionis eſſe dicendus eſt; in eo quippe nec nummi, qui abſque dubio aderant, & litem dirimere poterant, ſervati ſunt, nec litterae loculo inciſae aut annulus quidam arcani proditor ſimul eſt detectus. Ex ipſis itaque inſtrumentis & vaſis in ſepulcro reconditis judicium nobis ferendum eſt. Et horum quidem reliqua Merovingico priori aevo, ſola corona utpote hemicyclo inſtructa poſteriori, videtur convenire; in medio proinde tutiſſimi ibimus. Forſan itaque, ni Duci cuidam Meroveadi, Regi Theodeberto aut Theodebaldo adſcribi poterit. Iſte Theodorici, primi Auſtraſiae Regis, filius ſaepe Verodunum inviſit, ibidemque Deuteria ejus pellex, Theodebaldi mater, atroci crimine clara, frequenter verſata eſt, (*s*) quod & de Theodebaldo ipſo notum, qui medio ſaeculo ſexto deceſſit.

Ita Tornacenſe monumentum a. 1653 in urbe ad Scaldim detectum Francicae Monarchiae naſcentis; hoc Verodunenſe, ſaeculo poſt extra urbem effoſſum, adoleſcentis opus dicendum videtur.

LATERES SEPULCRALES

ARBOGASTI EPISCOPI ARGENTIN.

Diverſarum gentium moribus *ſignatos* eſſe *lateres* ſupra docuimus. Id Romanis & Gothis & Gallis etiam Chriſtianam fidem amplexis obſervatum; quod FABRETTUS, (*t*) CIAMPINIUS, (*u*) TORRIGIUS (*x*) probant.

X 3 Inter

(*s*) GREGORIUS TURON. L. III. cap. 26.

(*t*) *Inſcr.* p. 503.

(*u*) *De ſacris aedificiis a Conſtantino ſtructis.* p. 30.

(*x*) in *ſacris Cryptis Vaticanis* p. 448.

Inter alia, D. N. CONSTANTINVS AVG. in lateribus magnis Basilicae Vaticanae, a Constantino conditae, legitur. Imo recentiori aevo vetustatis imitatione signatas tegulas omnes tecti S. Balbinae videre licet, nomine & gentilitio emblemate Alexandri VI Papae impresso, ut FABRETTUS (*y*) refert. Antiquioribus documentis novum accedit, in *sepulcro, quod S. Arbogasti*, Argentinensis ex Saec. VII Episcopi, forsan fuit, a. 1767 detectum. (*z*) Laterum fragmina quaedam, in museo nostro obvia, longa sunt ped. 1. poll. 1. lata poll. 9. Iis impressum legimus:

ARBOASTIS EPS FICET

ut Tab. X. n. V. vides. Sensus est: *Arbogastes Episcopus fecit.* Litterae sat elegantes sunt & Romanae, nisi quod F & C aliquid difficultatis habeant. In voce *ficet* Merovingici aevi stilum agnoscimus, cui solemne fuit litteras i & e permutare. Apud MABILLONIUM (*a*) in charta *Chlodovei Jun.* utrumque plus simplici vice occurrit. Ita statim ab initio: » Oportit climenciae » principali &c. " pro oportet clementiam principalem . . . Similia lapides ejusdem aetatis exhibent. *Violis* pro violes, (*b*) *vixet* pro vixit, (*c*) *morebus* pro moribus (*d*) &c. Caeterum istam enallagen antiquissimis etiam Romanis non fuisse incognitam satis constat. (*e*) De Arbogaste ipso plura *Alsatia Litterata* dabit.

SUPEL-

(*y*) l. c. p. 499.

(*z*) Occasionem retulimus supra pag. 30 & 113.

(*a*) *de Arte Diplomat.* Tab. XVII.

(*b*) MURATOR. T. I. p. CDXXIX. 2.

(*c*) ib. T. I. p. CDXXIV. 2.

(*d*) ib. T. I. p. CDXXVII. 4. Alia ibid. p. CDXXI. 2. CDXXX. 1. CDXXXI. 2.

(*e*) v. SYLBURGIUS in Diss. *de Vetere Romanorum scriptura*, subjuncta SCIOPPII *Gramm. Philosophicae*. pag. 218 sq.

SUPELLEX GERMANICA

CARROCII ARGENTINENSIS EXEMPLUM

Signis militaribus, quibus Romani olim usi, accessere e ritu barbarorum *vexilla*, quae diu intra mensuram mediocrem stetere, donec medio aevo in enormem molem excrescerent, curribus imponenda, boum aliquot trahenda jugis. (*f*) Digna est memoratu Mediolanensis talis vexilli a. 1038 ab HERIBERTO *Archiepiscopo* adhibiti descriptio, quam CAR. SIGONIUS (*g*) subministrat. Formam Cremonensis carrocii campaniferi exhibet MURATORIUS. (*h*) Vexillum id *standardum* (*i*) barbare dicebatur; currus, quo vehebatur, *carruca* vel *carrocium*, (*k*) quo nomine tamen non raro ipsum quoque vexillum venit. Utriusque vocis usus diem tulit, in vocibus *étendart* & *carrosse* residuus.

Carrocium suum Principes sibi & civitates habuere. In his *Argentinense* prorsus magnificum splendidumque fuit, quod nostrates cives, castra sequentes, signiferis etiam inter alios ALBERTO & RUDOLPHO dein *Imp.* HABSPURGICIS, (*l*) saepe comitatum scribitur. A SCHILTERO perperam salutatur *Blutfahnen*. Id, ex quo usus ejus obsolevit, in turre nummaria servabatur, (*m*) unde

(*f*) v. DU CANGE *Glossar.* v. *Carrocium.*

(*g*) in *hist. Regni Italiae* L. VIII. ad a. 1038. DU CANGE male eam rem refert ad a. 1124.

(*h*) *Thes. Antiq. Ital.* T. III. P. II. ad p. 1289.

(*i*) DU CANGE h. v.

(*k*) absque dubio a Germanico *Karn.* v. RINCKII *Diss. de carrocio.*

(*l*) v. *Paralipomena ad Abbatis Ursperg. Chronicon.* cf. GERHARDI DE ROO *hist. Austr.* L. I p. 7 & 9.

(*m*) SCHILTERS *Anhang zu Königshoven Elsäss. Chronick* p. 1102 & 1103.

unde in S. Lucae curiam ante hoc decennium fere translatum eſt, altum cubitos $7\frac{1}{2}$, latum $6\frac{1}{2}$.

Confectum id eſt ex ſerico panno duplici candido, & ex utraque parte in ſolio reſidentem B. Virginem inque hujus gremio Servatorem puerulum repraeſentat. Brachia B. Mariae, caeruleo & purpura veſtitae, protenſa in altum & expanſa faſciae aureae, ſolium coronae & lilia exornant. Infans Jeſus, purpura itidem & viridi amictus, dextrae duos digitos elevat jurantium more, ſiniſtra lilium aureum rubeumque, inſigne civitatis, tenet. Obryzi decorando vexillo impenſi pondus octoginta ducatos aureos exaequat. Exemplum ejus vividiſſimis coloribus pictum muſeum hoc ſervat, longum pedes 2 poll. 1. latum pedem 1, poll. $8\frac{1}{2}$. Ut aeri inciſum ſiſteremus, neceſſe haud fuit. Obvia ejus eſt icon tum apud KOENIGSHOVIUM, (*n*) tum in MOLLINGERI diſſert. de *jure vexilli Argentoratenſium.* (*o*)

Uterque ſimul minus *vexillum* noſtras exhibet, quod *equeſtre*, vulgo *ein Rennfahnen*, olim fuit, in haſtiludiis, ut vulgo dicuntur, adhiberi ſolitum. Hoc & epigraphe, quam nonnulli perperam in majori vexillo quaerunt, ornatum fuit iſta: VENITE AD PUERUM CHRISTUM OMNES QUI ONERATI ESTIS, & ex altera parte hac: A SOLO CHRISTO VICTORIA. Verum hanc epigraphen ſublatam hoc ſaeculo, in notis ad MOLLINGERUM ſua manu appictis queritur SCHOEPFLINUS. Habet hoc & annum in corona B. Mariae ſignatum, ſcilicet 1587; eo tamen non primum confectum, ſed refectum, inſtauratum & in prioris, uſu detriti, locum ſurrogatum credi

(*n*) ad pag. 1107.

(*o*) prodiit hic a. 1736.

credi debet. Prioris, de quo modo diximus, carrocii exemplar itidem refectum ex ſaec. XV. ſuperſtes eſt.

Cum his vexillis tandem confundi non debet aliud, civitatibus imperii proprium, unicipite aquila nigra inſignitum, (*p*) cujus in bello geſtandi principem locum Argentina quondam obtinuit.

SPICULA FERREA

Haec 60 circiter numero inventa ſunt in turre quadrata arcis Epiſcopalis, quae Tabernis Alſaticis viſitur, eo tempore uſitata militibus, quo arcuum uſum pulvis pyrius nondum expulerat.

LANCEAE SACRAE EXEMPLUM

Imperii Romano-Germanici inſignia & reliquias, ut notum, Norimberga cuſtodit. In iis *lancea* perhibetur eſſe, qua Servatoris latus olim perfoſſum, itemque inſertus lanceae *clavus* aliquis ei cruci affigendo adhibitus. Utriuſque exemplum ex ligno ad inſtar illius confectum, quem genuinum putant, & in cujus honorem olim feſtum Innocentii VI juſſu celebrari ſolitum eſt, (*q*) *Ill. Norimbergenſis Magiſtratus* benevola cura ad SCHOEPFLINUM transmiſit. In ejus parte media monacalibus litteris deauratis in nigra area haec verba leguntur expreſſa: *Lancea & clavus Domini.*

(*p*) cf. MOLLINGERUS p. 45 ſeq.

(*q*) De eo ſcripſit JOH. VON SEELEN peculiarem diſſert. Flendsb. 1715.


Formam ejus videſis apud LUDEWIGIUM (*r*) in duplici nummo, altero Sigismundi Imp. altero recentioris aevi, qui illis ſolet diſtribui, qui ad ſpectanda cimelia accedunt. Idem LUDEWIGIUS ſimul pluribus docet, quo aevo, quave cauſſa inſignia iſta Imperii ſint Norimbergae concredita, quot iſtorum claſſes conſtitutae ſint, quid de fide & auctoritate *dominicae*, ut barbare dicunt, *lanceae* in utramque partem diſputatum ſit, quaeque ſint alia loca, quae iſtius cuſtodiam ſibi aſſertam cupiant; ad eum proinde harum rerum cupidum lectorem ablegamus. Longa eſt lancea ped. I. poll. 7. l. 2.


(*r*) in *Norimberga Inſignium Imperialium tutelari.* Hal. 1713. 4. ad pag. 117.




SUPEL-

I.





II



SUPELLEX DANICA ET SUECICA

KALENDARIA RUNICA DUO

» An tua Rumuleum faſtidit lingua ſuſurrum?
. . . .
» Barbara fraxineis pingatur *runa* tabellis;
» Quodque papyrus agit, virgula plane valet.

Primam hanc runarum mentionem VENANTIUS FORTUNATUS (*s*) Saec. VI. poëta facit; quo ſenſu, diſcordant eruditi. Alii ſcilicet quoſvis arcanos characteres, alii Germanicos, (*t*) alii litteras per multa ſaecula borealibus gentibus conſuetas intelligunt, quas hodieque *runas* ſalutant. Quicquid de iſto loco ſit, harum deinceps frequentatum eſt nomen, *Runer* vel *runſtaf* dictarum. Diverſas illarum figuras, diverſis locis uſitatas, varii (*u*) collegere. Antiquiſſimas cum VERELIO, (*x*) qui & ſignificantia earum nomina tradit, hoc ordine exhibemus, poteſtate ſubjecta:

 Poſtre-

(*s*) *Carm.* L. VII. 18.

(*t*) quos inter *Cel.* IHRIUS in Diſſ. IIda *de runarum origine*, recenſita in *Goett. Gel. Anzeig.* 1771. N. 4.

(*u*) v. potiſſ. OL. WORMIUS in *Litterat. Danica* p 49 - 60. & HICKESIUS in *Theſ. LL. Septentr.* P. III. ad p. 4. *Gramm. Island.* Notandum de cetero, utrumque citra neceſſitatem copiam diverſorum alphabetorum cumulaſſe.

(*x*) in *Runographia Scandica* cap. 7. Occurrit & ſeries runarum apud JOHANNEM MAGNUM in *hiſt. Gothor.* L. I. c. 7. & OLAUM MAGNUM in *hiſt. gent. Septentr.* L. I. c. 36.

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
ᚠ	ᚢ	ᚦ	ᚬ	ᚱ	ᚴ	ᚼ	ᚾ	ᛁ	ᛅ	ᛋ	ᛏ	ᛒ	ᛚ	ᛘ	ᛦ	ᛣ	Ж	Φ
F	V	D	O	R	K	H	N	I	A	S	T	B	L	M	AV.R	AL	MM	DD
	W	TH			G						D	P			OE. E			

Postremae tres in computo magis quam in sermone adhibentur. Litteras alias, adspiratione privatas, item connexas hic mittimus, quas VERELIUS (*y*) exhibet.

Harum runarum plurimas ex Latinis litteris, quas populi, boream inter & Italiam interjecti, vario modo successu temporis immutarunt, esse exortas vel primo statim intuitu perspicere licet, MURRAYUS etiam sat probabili ratione ostendit, (*z*) iis ex Anglo-Saxonum litteris ita inflectendis ex eo occasionem esse subnatam, quod duabus lineis parallelis insererentur, quae per varios nexus & spiras, (*a*) draconum & serpentium formam saepe referentes, procurrerent. Inde scilicet factum, ut qui tractus in istas lineas aeque distantes incidissent, data opera a recto tramite suo deflecterentur. Verisimilior certe haec nobis videtur opinio, quam illorum, qui runas origine Hebraïcas, aut Graecas, aut indigenas statuere, ab Othino vel aliis inventas, aut Ulfilanas &c. Sane IHRIUS (*b*) & ipse, RABANI MAURI testimonio nixus, originem runarum Germanicam agnovit.

Quaeris, unde *runis* nomen quaesitum? Sunt, qui ab Hebraïco רנה, sunt qui a sulcis vel canalibus, derivandae

(*y*) c. 10 & 11.

(*z*) in Diss. *de Runis* in *Goett. Gel. Anzeigen* 1768. N. 50.

(*a*) fere ut in NN. Anglo Saxonum Saec. IX.

(*b*) in *Diss.* IIda *de runarum origine.* cf. & MURRAY in Diss. I. de *runis.* in *Goett. gel. Anzeig.* 1767. N. 126.

rivandae in prata aquae factis, quorum illos *rynner* hos *renner* prisca dicebat Scandinavia, denominatas velint,(*c*) cujus rei rationem usus runarum mox declarabit; STIERNHIELMUS (*d*) a voce *roena*, quae scrutari designat, deducit; expeditior forsan eorum est ratio, qui *runarum* vocem ab initio *arcano* designando dicatam perhibent, dein, quod monstri quid alere litteras crederet ignara plebecula & incantationibus adhibitas (*e*) videret, nomine, malis his artibus alias tributo, litteras etiam insignitas statuunt; quam sententiam, a SPELMANNO (*f*) prolatam, WACHTERUS (*g*) egregie confirmavit, SCHERZIUS (*h*) deinde, IHRIUS, (*i*) MURRAYUS (*k*) &c. calculo suo probarunt. VERELIUS (*l*) usum abusu priorem putandum censet, & runas ante litteras fuisse credit, quam Magis usitatas, sive *Maalrunas* priores *Swartrunis* sive *Ramrunis* extitisse.

Incisas in lapides, tabulas & scipiones e ligno frequenter comperimus runas, parcius membranis illitas aut incusas nummis. In ligno an lapide prius adhibitae

 sint,

(*c*) v. OL. WORMIUS in *litterat. Runica* c. I. quem alii sunt secuti.

(*d*) in *Praef. ad Evangel. Gothic.*

(*e*) Magiae inserviisse runas satis constat. Exempla dat SAXO GRAMM. L. I. p. 11. L. III. p 44. L. VIII. p. 157. Testatur & VERELIUS cap. I. In *historia* HIALMARI *Regis*, modo suppostitia non sit, apud HICKESIUM baculo runico vectus per aërem narratur JARLUS p. 141.

(*f*) in *Glossario* voce *Runicae litterae*. BENSON in *Voc. Anglo S.* explicat *Run* per mysterium, incantatio.

(*g*) in *Glossario* voce *Rune*.

(*h*) in *Glossariis Carolino & Germanico*, *MSS.* quae in tabulario civitatis tanquam cimelia pretiosissima asservantur, voce *Runa*.

(*i*) in *Glossario* nuper edito voce *Runa*, ubi ille sic: „ vox haec nil „ aliud ab initio indicavit, quam vel „ secretum quid vel magicis exercitiis „ applicatum. Prius in admiratione „ ignotae artis, animi sensa per lit„ terarum ductus communicandi, po„ sterius in abusu innocentis artis ad „ praestigias & artes magicas, funda„ mentum habere potuit.

(*k*) l. c. (*l*) l. c. cap. 4.

ſint, diſputatur. IHRIUS (*m*) ligno, lapidi MURRAYUS (*n*) favet. Quicquid ſit, magno numero reſtant per Daniam, Norvagiam, Sueciam epitaphia Runica, *Alfruner* dicta, a BUREO, (*o*) WORMIO, (*p*) VERELIO, (*q*) aliiſque edita; faſtos etiam ſive kalendaria, iſtis gentibus a multis retro ſaeculis ad hunc uſque diem (*r*) tabulis & baculis aliique materiae, ſaepe ſat rudi opera, runis incidere mos eſt.

Faſtos hos *Runſtafwen*, *Rimſtocke*, (*s*) itemque *Runakefli* (*t*) vocant. Eorum centum & viginti *Ill. Comes* EHRENPREUSIUS Upſalienſi Univerſitati dono dedit. (*u*) In auſtralibus noſtris plagis rara eorum exempla occurrunt. *Ill. Lipſienſis Senatus* unos ejuſmodi faſtos, eoſque antiquos & a dextra verſus ſiniſtram procedentes, in ſupellectile libraria ſervat, quos egregie deſcripſit KAESTNERUS (*x*). WORMIUS (*y*) plures enucleavit. Is vulgo in iis totius anni dierum & viciſſitudinum, feſtorum immobilium & aurei numeri ſive lunaris cycli itemque ſolaris notas inciſas deprehendi

(*m*) in Diſſ. I. *de Runarum origine* cf. *Goett.gel. Anz.* 1771. N. 9. *Zugab.*

(*n*) l. c.

(*o*) v. VERELII *runographia* cap. 1.

(*p*) in *Monum. Danicis.* Verum non omnia ejus probatae fidei eſſe, docet VERELIUS l. c.

(*q*) l. c. cap. 8.

(*r*) De priſcis ſaeculis v. OLAUS MAGNUS l. cit. L. I. c. 34. & L. XVI. c. 20. Noſtrae aetatis exempla ipſi afferimus. Quin & in emendando Kalendario dandam eſſe operam ſollicite monuere nonnulli, ne runicis faſtis derogetur. v. *Act. Litt. Suecica* T. I. p. 20 ſq. It. p. 34 ſq.

(*s*) v. WORMIUS in *faſtis Danicis.* Hafn. fol. 1643. ubi p. 3. docet, *Rim* olim Kalendarium denotaſſe.

(*t*) cf. VERELIUS in *Ind. ling. Gothicae*, hac voce.

(*u*) teſte anonymo in *animadv. ad* ERICHSONII *Biblioth. Run.*

(*x*) in *Schriften der Geſellſch. der freyen Künſte zu Leipzig* T. III.

(*y*) l. c. cf. & DALINI *hiſtoria Regni Suecici*, germanice verſa. T. I. p. 204 ſeq. ubi faſti Runici quoque repraeſentantur & exponuntur.

hendi oſtendit. (z) Ex quibus momentis ſi quod deſit, *imperfectos faſtos* appellat, *perfectis* oppoſitos. Sunt ex utroque genere, qui antiquam anni formam referant, ſunt, qui recentiori aevo emendatam, quos proinde is *reſtitutos* ſalutat.

Nos hic duo muſei noſtri *Kalendaria runica* recentiſſima ſimul explicanda aggredimur, utrumque perfectum, alterum Holmiae, ut putamus, a. 1755 auctore SUENONE DIGELIO, *Paſtore des. Sawarenſi*, aere excuſum, cui ſuccincta quaedam expoſitio, Gallica lingua neſcio quo auctore confecta, manu ſcripta adjungitur, quam in noſtrum uſum heic convertimus; alterum in *baculo* a. 1750 exaratum.

Scipio is, longus pedes 3. poll. 9. lin. 3. diametri in ſummo lin. 9. tabula XVII fig. I. repraeſentatur, in duas partes ſciſſus, quarum utraque totam baculi peripheriam exhibet, binis ordinibus trifariam ſectis, duodecim anni menſes complexam.

In ſuperiori *baculi* regione ſpiris inſculptus eſt ſtatim *cyclus ſolaris*, deſignandae litterae dominicali. Is, ut notum, annorum eſt 28, ex primis ſeptem runis confectus, ita redeuntibus, ut quarto quoque loco duplex adſit, annorum bisſextilium index. Reſpondet hic cyclus, vetus quippe, ſequenti:

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28
G	E	D	C	B	G	F	E	D	B	A	G	F	D	C	B	A	F	E	D	C	A	G	F	E	C	B	A
F				A				C				E				G				B				D			

Eundem hunc cyclum antiquum offert & *Kalendarium* DIGELII, modo memoratum, ita tamen, ut ei ſtatim

(z) V. & OLAUS MAGNUS L. I. c. 34.

tim ſubjiciat cyclum ſolis Gregorianum, qui ab a. 1700 ad 1800 valet, imo vero, qui perpetuo valere poterit, ſi quibuſque 400 annis tres bisſexti omittantur. Runica haec DIGELII tabella ſequenti reſpondet:

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28
D	B	A	G	F	D	C	B	A	F	E	D	C	A	G	F	E	C	B	A	G	E	D	C	B	G	F	E
C				E				G				B				D				F				A			

Ceterum, qui veterem cum nova tabula contulerit, videbit, iſtam quoque in *ſcipione* exaratam uſui eſſe poſſe, (*a*) ſi a litteris D, qui nono loco occurrunt, initium ſumas, ſic: C

21	22	23	24	25	26	27	28	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
G	E	D	C	B	G	F	E	D	B	A	G	F	D	C	B	A	F	E	D	C	A	G	F	E	C	B	A
F				A				C				E				G				B				D			

Cyclum ſolarem in *ſcipione* excipit *alphabetum runicum*, 19 litteris totidem numeros notantibus expreſſum, quod intelligendo cyclo lunari, de quo deinceps, praemittendum erat. Hinc nec in DIGELII *Kalendario* deeſt. Adſcriptus tandem Romanis numeris *annus* MDCCL.

Jam duo, quos diximus, ordines, per omnem *ſcipionis* longitudinem procurrentes, ſemeſtre ſpatium ſinguli

(*a*) Invenies *numerum cycli ſolaris* cujuſvis anni a Chriſto, ſi ad eum addas 9, ſummamque dividas per 28; tum enim reſiduus numerus erit quaeſitus numerus cycli; ubi nil reſtabit, erit annus cycli ultimus. v. LILII *Cal. Gregor. perpet.* can. III. E. g. annus hic 1773 + 9 = 1782, ſi dividatur per 28, dabit 63, reſiduis 18. Collato hoc numero XVIII in cycli memorati tabula, reperies litteram P in *ſcipione*, quae reſponderet litterae F, nec quadraret. Verum in *Kal.* DIGELII reſpondet is num. XVII litterae Þ, & in latino cyclo Gregoriano litterae C, quae quadrat. Eandem litteram dabit & cyclus *ſcipionis* noſtri, eo quo diximus modo emendatus.

guli abſolvunt, in tres notarum ſeries ſubdiviſi. *Kalendarium* DIGELII ſingulos menſes eodem modo trina notarum ſerie diſtinctos ſejungit.

Media ſeries *dies* offert, ſeptem his primis runis

ᚠ ᚢ ᚦ ᚮ ᚱ ᚴ ᚼ

expreſſos, toties repetitis, quoties ad efficiendas totius anni ſolaris ſeptimanas requiritur.

Ima ſeries *aureum numerum* ſive *lunarem cyclum* ſiſtit, cui exprimendo omnes novendecim runae ſupra prolatae viſuntur adhibitae. Reſpondet autem hic cyclus in *ſcipione* veteri ſtilo; contra in *Kalendario* DIGELII ad novum ſtilum accommodatus comparet, quod & in fronte dicitur. Inde fit, ut in duobus his Kalendariis noſtris, invicem collatis, cycli lunaris ſeries undecim annis diſcrepet. Ita annus hic 1773 aureum numerum habet VII (*b*), qui in diem 24 Jan. incidere novilunium oſtendit in *Kal.* DIGELII. In *ſcipione* ſignat is numerus diem 13 Jan. cui ſi dies adjeceris undecim, in eundem 24 Jan. incides.

Denique prima ſeries varia *ſigna* offert, ad *feſtos dies*, varioſque *ruſticorum labores* trahenda, de quibus mox.

Z Illud

(*b*) *Numerus aureus* invenitur, ſi ad annum quemque a Chriſto adjicias 1, ſummamque dividas per 19, tum enim reſiduum dabit numerum aureum quaeſitum; ſin ſuperſit nihil, erit annus cycli ultimus. cf. *Lilii Cal. Greg. perp.* can. I. E. g. annus hic 1773 × I = 1774 ſi dividatur per 19, dabit 93, reſiduis 7, qui numerus VII h. a. aureus eſt. Reſpondet is in ſerie runarum litterae ᚼ, haec in *Kal.* DIGELII invenitur ſub die 24 Jan. 22 Febr. 24 Mart. &c. In hos ergo dies neomenias incidere h. a. docet. Contra in *ſcipione* ea runa ᚼ ſignat dies 13 Jan. 11. Febr. 13 Mart. &c. ſcilicet ex vet. ſtili ratione; iis ergo diebus addendi ſunt 11, ſic incidet aureus numerus in eoſdem dies, in quos in altero Kalendario.

Illud ante notaſſe lubet, in *ſcipione* noſtro ſingulis menſibus praepoſitum ſpectari *orbem*, ſupra ſole, infra luna inſignitum, in quo, quot diei quot nocti conveniant horae, lineolae & cruciculae docent. Iſta diei noctiſque dimenſio circularis in DIGELII *Kalendario* mediis menſibus imminet.

Supra circellum laudatum in *ſcipione* viſuntur notae numerales duplicis generis, quarum ſenſum his habeto. Primo adeſt cujuſque menſis *ſignum coeleſte* & ei ſubjecta *runa*, *diei index*, *quo ſol iſtud ingreditur*. Is facili opera invenitur, ſi a runa, quae menſem incipit, ad runam quaeſiti diei indicem, ſecunda vice poſitam, dies connumeres. Ita e. g. Januarius offert aquarium eique ſubjectam runam ᚢ. Ea ſecundum menſis itemque, ubi redit, nonum diem ſignat, hoc ergo die ſol in aquarium tranſit. Deinde alii numeri, menſibus itidem praefixi, *horam orientis & occidentis ſolis* indicant. Ita in Januarii initio ſol oriri dicitur hora 8 ½, occidere h. 3 ½. De *ſcipione* haec valent; nam in *Kal.* DIGELII iſte ſolis ortus & occaſus bis quovis menſe adnotatur.

Sed ad primam redeamus notarum ſeriem, *feſtorum & laborum* (*c*) indicem. Hic ſtatim primaria anni feſta

(*c*) Ne quis credat, elegantia a typo noſtro vinci figuras notarum in baculo exaratas, monemus, has admodum ſcite eſſe confectas. Ceterum feſtos dies & labores ruſticorum in faſtis adnotandi antiquus mos eſt. Exempla Romana ſuppeditat GRAEVIUS in *Theſ. Ant. Rom.* T. VIII. Ex illis certo modo conferri meretur cum noſtris Runicis *Kalendarium Ruſticum Bibliothecae Farneſianae*, inciſum marmori quadrato, in cujus ſumma ora extant ſigna coeleſtia cujuſque menſis, quibus ſubjiciuntur menſium nomen, dierum numerus, horae diurnae nocturnaeque, tutela, labores ruſtici, ſacra.

festa *crux* integra signat, apposita festis Circumcisionis, Regum, B. Virginis, Johannis B. S. Michaëlis, Nativitatis Christi, S. Stephani, S. Johannis & diei sequentis; reliquis, secundariis festis, dimidia crux comparet imposita.

Sunt haec *festa immobilia*, in Kalendariis his expressa & suis signis distincta. *Mobilia* pendent ex Paschate. (*d*) Eo spectant statim, praeter hoc ipsum, festum Ascensionis, Pentecostes, Trinitatis, dein & dominicae Pascha tum antecedentes tum id ipsum & deinceps Trinitatis festum excipientes. Itaque, his etiam determinandis, Paschatis terminum cycli utriusque solaris & lunaris ope in his Kalendariis invenire docebant veteres. (*e*) In Dominicam quippe plenilunio primo post aequinoctium vernum proxime succedentem id incidere praecipiebant. (*f*) Atque negari nequit, saepe hanc legem sufficere. Ita anno hoc 1773 numerus cycli lunaris est VII, is tangit in Kal. nostris Runicis diem 24 Martii. In hunc ergo novilunium incidit. Die 14to post habes plenilunium primum post

aequi-

(*d*) v. *Lilii Cal. Gr. P.* can. VI.

(*e*) Subit mirari, harum rerum scientiam adeo fuisse in parum litterata ceteroquin & rustica etiam plebe pervulgatam. Res ipsa tamen dubio caret. Ita saltem OLAUS MAGNUS L. I. c. 34. „Rustici seu villani adeo „periti reperiuntur & sunt, ut die „una praedicere possint, quotus quis„que aureus numerus sit, litteraque „dominicalis, annus bissextilis, in„tervalla, festa mobilia & ipsae lu„nares mutationes post decem vel „sexcentos aut mille annos fient vel „erunt." Idem porro L. XVI. c. 20. „Habent baculos annales seu Calen„darios pro gestamine manuum, qui„bus docent, disputant, interrogant „& concludunt lunares conjunctio„nes & oppositiones, ac cursus, fe„sta mobilia ac fixa pariter & signa „dierum, infallibili experientia, quasi „e libro declarata legerent, expo„nunt & interpretantur.

(*f*) Exceptio ubi locum habeat, Chronologi docebunt.

aequinoctium vernum. Est is dies 7 Apr. Numerus cycli solaris est XVIII, & respondet litterae Domin. C, quae in diem 11 Apr. incidit. Hic ergo dies Paschae, quod quadrat. Caeterum ad calculum Paschalem adcuratius instituendum in *Kal.* DIGELII, qui recentiori stilo est adaptatus, Epactarum cyclus est adjectus.

Verum, his missis, nostrum e *scipione* Kalendarium, quantum fieri poterit, dilucide & ita oculis lectorum nunc subjiciemus, ut numerum aureum, dominicales dies, dierum seriem, zodiaci, festorum, laborum signa sistamus, succincta declaratione stipata, & discrimina *Kalendarii* DIGELIANI addamus.



JANUA-

JANUARIUS

N. A.	l.d.	dies	FESTA	SIGNA	Signorum Expoſitio.
				ſol in aquario die 9	
				ſol or. h. $8\frac{1}{2}$ occ. h. $3\frac{1}{2}$	
				dies h. $6\frac{1}{2}$ nox h. $17\frac{1}{2}$	
XIX	a	1	Circumciſionis	*Culter* (*a*) & *cornu* (*b*)	(*a*) Signat ritum circumciſionis. In aliis faſtis annus incipit a Nativ. Chriſti, in aliis a die Tiburtii &c. v. WORM. in *Faſt. Dan.*
VIII	b	2			
	c	3			
XVI	d	4			
V	e	5			(*b*) Signum epularum & perdurantis feſti *Juel.* E cornibus bibiſſe veteres, multis documentis conſtat. Eo ſpectant & cornua magni pretii per Daniam reperta. Muſivum Praeneſtinum ejus rei apud alias gentes exemplum praebet.
	f	6	Regum	*coronae* 3 & *cornu* (*c*)	
XIII	g	7			
II	a	8			
	b	9			
X	c	10			
	d	11			
XVIII	e	12			
VII	f	13	Canuti Regis	*caput barb. & coronatum* (*d*) & *cornu inverſum* (*e*)	(*c*) in *Kal.* DIGELII hic adjicitur *ſtella*, quam ducem ſecuti.
	g	14			
XV	a	15			(*d*) WORMIUS p. III.
IV	b	16			
	c	17			(*e*) finis epularum.
XII	d	18			
I	e	19	Henrici Ep.	*pedum*, *ſella* (*f*)	(*f*) judicium h. d. habendum notat. Dicti olim hi dies *Dingsdage.*
	f	20	Fab. Sebaſt. (*g*)		
IX	g	21			
	a	22			(*g*) Heic *Kal.* DIGELII offert *duas protomes SS.* & *ſecurim*, caedendi ligni notam.
XVII	b	23			
VI	c	24	Erici (*h*)		
	d	25	Conv. Pauli	*enſis* (*i*) & *arcus* (*k*)	(*h*) In *Kal.* DIGELII *cranium*, ob oſſa ejus h. d. ex vet. Upſalia in Neapolin translata.
XIV	e	26			
III	f	27			
	g	28			
XI	a	29			(*i*) quo is Chriſtianos perſecutus.
XIX	b	30			(*k*) venationis index. *Kal.* DIGELII addit *rete venatorium.*
VIII	c	31			

FEBRUARIUS

N. A.	l.d.	d.	FESTA	SIGNA
				ſol in piſcib. d. 9. ſol or. h. 7. occ. h. $4\frac{1}{2}$ dies hor. 9. n. h. 15
	d	1		
XVI	e	2	Purific. B. V.	*Candelabrum* (*a*) & *corona.* (*b*)
V	f	3	Blaſii (*c*)	
	g	4		
XIII	a	5		
II	b	6	Dorotheae	*forceps* (*d*)
	c	7		
X	d	8		
	e	9	Apolloniae (*e*)	
XVIII	f	10	Scholaſticae	*gladii theca* (*f*) forſan.
VII	g	11		
	a	12		
XV	b	13		
IV	c	14		
	d	15	Sigfridi Ep.	*pedum, ſecuris.* (*g*)
XII	e	16		
I	f	17		
	g	18		
IX	a	19		
	b	20		
XVII	c	21		
VI	d	22	Cathedrae Petri	*clavis.* (*h*)
	e	23		
XIV	f	24	Matthiae Ap.	*ovum.* (*i*) *piſcis.* (*k*) *ſecuris.* (*l*)
III	g	25		
	a	26		
XI	b	27		
	c	28		

Signorum expoſitio.

(*a*) Inde feſtum dictum *Kerzwihy.* v. HALTAUS Scandianis appellatum *Kyndelmeſſe*, Anglis *Kandelmeſſe.* Nam *Kyndila* Finnones candelam, Wermelandae *Kyndel* dicunt. cf. IHRE in *Gloſſ.* Eadem tradit SCHERZIUS in *Gl. MS.* voce *Lichtwye.*

(*b*) Feſtis B. V. communis, quod coeli regina ſit aeſtimata. v. WORM.

(*c*) *Kal.* DIGELII hic offert *cornu venatorium*, cujus uſus tum notus; forſan & ad nomen Blaſii alludit.

(*d*) Supplicii index. K. D. adjicit *protomen Sanctae.*

(*e*) In K. D. *ſcirpicula*, putandis arboribus. Is mos & apud nos h. t. ſervatur.

(*f*) Rectiora docebunt alii. Equidem hic coecutio.

(*g*) Nota ſupplicii. v. DALINI *verſ. germ.*

(*h*) Alludit ad verba Salvatoris: „ dabo tibi claves &c.

(*i*) Anſeres tum ova parere incipiunt.

(*k*) Piſces h. t. ſemina ſpargunt.

(*l*) Caedendi ligni nota. Idem h. t. praecipiunt noſtrates.

MARTIUS

N. A.	l. d.	d	FESTA	SIGNA
				ſol in ariete d. 10.
				ſol or. & occ. h. 6.
				dies & nox hor. 12.
XIX	d	1	Albini	*Phoebus radians.*(*a*)
VIII	e	2	. . (*b*)	
	f	3		
XVI	g	4		
V	a	5		
	b	6		
XIII	c	7	. . . .	*pes humanus nu-*
II	d	8		*dus* (*c*) & *radius*
	e	9		*textorius.* (*d*)
X	f	10		
	g	11		
XVIII	a	12	Gregorii M.	*mitra & arbor foliis*
VII	b	13		*caſſa* (*e*)
	c	14		
XV	d	15		
IV	e	16		
	f	17	Gertrudis	*monaſterium* (*f*) &
XII	g	18		*pedum.*
I	a	19		
	b	20		
IX	c	21	Benedicti	*aratrum.* (*g*)
	d	22		
XVII	e	23		
VI	f	24		
	g	25	Annunc. B. V.	*corona.*
XIV	a	26		
III	b	27	Ruperti	*dolium.* (*h*)
	c	28		
XI	d	29		
XIX	e	30		
VIII	f	31		

Signorum expoſitio.

(*a*) Quod tum ſolis ardore ſolvitur acris hiems grata vice veris & favoni. *Kal.* DIGELII hic *caput barbatum* offert, forſan *Albini*, ſaltem hunc huic diei aſſignant *faſti runici* apud WORM. p. 130.

(*b*) in K. D. heic *piſcis*, quod ſcil. h. t. ſemina ſpargat.

(*c*) Quid notet, neſcio. Brachium ſi foret, *Thomae Aquin.* eſſe dicerem, quod olim Salerni fuiſſe, hodie Pariſiis ſervari putatur. K. D. *protomen* heic offert.

(*d*) N. L. Idem ſignum habet & *Kal.* DIG.

(*e*) Tum ſuccus in arbores eſcendit & gemmas trudit.

(*f*) Abbatiſſa Nivalliae fuit. v. ADONIS & BARONII *Mart.*

(*g*) Ruſtici laboris index. K. D. addit *globum dimidia parte lucidum*, aequinoctii ſignum.

(*h*) Defundendi vini nota. Noſtrates die Benedicti jubent vinum defundi.

APRILIS

N. A.	l.d.	d.	FESTA	SIGNA
				ſol in tauro die 9 ſol or. h. $4\frac{1}{2}$ occ. 7 dies hor. $14\frac{1}{2}$ n.h.$9\frac{1}{2}$
	g	1	. . . .	*navis velifera.* (*a*)
XVI	a	2		
V	b	3		
	c	4	Ambroſii (*b*)	
XIII	d	5		
II	e	6	. . . .	*rete piſcatorium.* (*c*)
	f	7		
X	g	8		
	a	9		
XVIII	b	10		
VII	c	11		
	d	12		
XV	e	13		
IV	f	14	Tiburtii	*piſcis* (*d*) & *arbor pullulans* (*e*)
	g	15		
XII	a	16		
I	b	17		
	c	18		
IX	d	19		
	e	20	. . . .	*equus* (*f*)
XVII	f	21		
VI	g	22		
	a	23	Georgii (*g*)	
XIV	b	24		
III	c	25	Marci	*avis in arbore reſidens.* (*h*)
	d	26		
XI	e	27		
	f	28		
XIX	g	29		
VIII	a	30		

Signorum expoſitio.

(*a*) Tum alto committi nave ſolent. Veteres h. t. ad piratican redibant.

(*b*) K. D. hic habet *labrum &* *rete piſcatorium.* Hujus uſus pa tet; illius ratio N. L. Aeque ob ſcurum mihi eſt *ollae* ſignum, quod WORMIUS offert p. 113.

(*c*) Ni fallor. Eſſet laboris ſi gnum. Saltem is menſis piſcatu favet.

(*d*) Piſcationis nota.

(*e*) Ab hoc die, quem *Forſt Sommersdag* dicunt Norvagi, fa ſtos inchoabant olim. v. WORMIU p. 113. K. D. hic offert *ſellam*, ju dicii publici notam, & *florem* vernum honorem.

(*f*) Cui tum equae committun tur. Forſan & quod tum equ abigantur in paſcua.

(*g*) K. D. exhibet hic *S. Geor gium equitem* & pone ipſum *ſcu tum*, ſymboli tamen magis, quan hiſtoriae imaginem, ſecundum BA RON. in *Martyrol.*

(*h*) Cuculus tum cantum inſtau rat. Adjicit hic K. D. *leonem*, quod ſymbolum Marco tribuit ex Ezech. I, 10. & Apoc. IV, 7. HIERONYMUS L. I. *adv. Jovian.* IRENAEUS contra L. III. c. 11. aquilam, AUGUSTINUS L. I. de *Evang.* c 6. hominem. cf. THO-MASII *Diſſ.* de *Inſign. quat. Evang.*

MAJUS

N. A.	l. d.	d.	FESTA	SIGNA
				sol in geminis d. 10. sol or. h. $3\frac{1}{2}$ occ. h. $8\frac{1}{2}$ dies hor. $16\frac{1}{2}$ n. h. $7\frac{1}{2}$
	b	1	Philip. & Jacobi	*avis ovis incubans.* (*a*)
XVI	c	2		
V	d	3	Exaltat. crucis	*crux erecta* & *vexillum.* (*b*)
	e	4		
XIII	f	5		
II	g	6	Joh. ante portam Latin. (*c*)	
	a	7		
X	b	8		
	c	9		
XVIII	d	10		
VII	e	11		
	f	12	Pancratii	*gladius* (*d*) & *sella* (*e*)
XV	g	13		
IV	a	14		
	b	15		
XII	c	16		
I	d	17		
	e	18	Erici Regis	*caput ej. coron.* (*f*) & *spicae.* (*g*)
IX	f	19		
	g	20		
XVII	a	21		
VI	b	22		
	c	23	. . . (*h*)	
XIV	d	24		
III	e	25	Urbani Papae	*mitra Pap.* & *papaver.* (*i*)
	f	26		
XI	g	27		
XIX	a	28		
VIII	b	29		
	c	30		
XVI	d	31	Petronellae	*cuparum* v. *doga.* (*k*)

Signorum Expositio.

(*a*) Aucupii prohibiti nota. cf. DALINI *vers. germ.* In *Kal.* DIG. duae *protomae SS.* hic comparent.

(*b*) K. D. offert *crucem*, *naviculam*, *avem* & *arcum*, cujus rei ratio forsan in eo quaerenda, quod tum lembis vecti insectantur marinas aves.

(*c*) In K. D. adest *crux oblique erecta*, quae ad ejus Sancti cultum forsan respicit. In *Kal. Lips. Run.* similis quaedam crux oblique jacens a KAESTNERO notatur.

(*d*) Capite truncatus fertur. v. ADONIS *Martyrol.*

(*e*) Judicii publici nota. In K. D. sellae loco hic *ara* occurrit, cujus signi ratio N. L.

(*f*) cf. SAXO GRAMM. L. XIV. & JOH. MAGNUS L. XIX.

(*g*) Proventum arvorum signant. In K. D. additur *piscis*, signando piscatui.

(*h*) Heic K. D. offert *aviculam quae sementim depascitur.* Frumentum Saracenicum tum seri WORMIUS refert. p. 114.

(*i*) Proventum ejus notat.

(*k*) Forsan ob usum balneorum h. t. commendandum. K. D. adjicit *protomen Sanctae.*

JUNIUS

N. A.	l.d.	d.	FESTA	SIGNA
				ſol in cancro die 11 ſol or. h. 2½ occ. 9 dies hor. 18 n. h. 6.
V	e	1		
	f	2		
XIII	g	3	Eraſmi Ep.	*terebra*(*a*)& *lebes*(*b*)
II	a	4		
	b	5	Bonifacii P. (*c*)	
X	c	6		
	d	7		
XVIII	e	8	Medardi	*vitis* (*d*)
VII	f	9		
	g	10		
XV	a	11	. . . (*e*)	
IV	b	12	Eskilli Ep.	*aratrum.*(*f*) *pedum.*
	c	13	Canuti Ducis	
XII	d	14		
I	e	15	Viti (*g*)	
	f	16		
IX	g	17	Volkmari	*rapa.* (*h*) *liber apertus.* (*i*)
	a	18		
XVII	b	19		
VI	c	20		
	d	21		
XIV	e	22		
III	f	23	. . (*k*)	
	g	24		
XI	a	25	Johannis B.	*candelabrum* (*l*) & *agnus Dei.* (*m*)
	b	26		
XIX	c	27		
VIII	d	28		
	e	29	Petri & Pauli	*clavis. gladius.* (*n*)
XVI	f	30		

Signorum expoſitio.

(*a*) Notat inſtrumenta ad meſſem paranda. v. DALINI *verſ.* l. c.

(*b*) In lebetem ſcil. pice & oleo ardente plenum conjectus fertur. Ejus loco *Kal.* D. habet *pedum*. Adjicit & *bilancem*, foeni vendendi notam.

(*c*) Heic *avicula* in K. D. quo reſpiciat, N. L.

(*d*) In K. D. *uva.* Utriuſque facilis interpretatio. Ominoſus is dies viti habetur.

(*e*) In K. D. heic *protome*, quaeritur cujus Sancti ?

(*f*) Laboris nota. In K. D. hic notatur *merga*, forſan foeno colligendo, & *porcus*, cujus ratio N. L.

(*g*) In K. D. hic *forfices fullonii* comparent, notando lanificio.

(*h*) Primus tum raparum proventus.

(*i*) N. L. In *Kal.* DIG. deeſt.

(*k*) In K. D. hic *globus lucidus* offertur, ſolſtitii index. Appoſite noſtrates olim dicebant *Sungichten, Sunwenden.*

(*l*) Forſan ad officium praecurſoris reſpicit, quo functus illuminavit Judaeam.

(*m*) Alludit ad verba ej. „ Ecce „ hic agnus Dei.

(*n*) Paullus gladio percuſſus creditur. v. EUSEBII *H. E.* L. II. c.25.

JULIUS

N. A.	l.d.	d.	FESTA	SIGNA
				ſol in leone d. 11. ſol or. h. $3\frac{1}{2}$ occ. h. $8\frac{1}{2}$ dies hor. $16\frac{1}{2}$ n. h. $7\frac{1}{2}$
V	g	1		
	a	2	Viſitat. B. V.	*corona* (*a*) & *ramus frugifer.* (*b*)
XIII	b	3		
II	c	4		
	d	5		
X	e	6	Benigni (*c*)	
	f	7		
XVIII	g	8		
VII	a	9		
	b	10	Canuti Regis	*falx meſſoria* (*d*) & *haſta.* (*e*)
XV	c	11		
IV	d	12		
	e	13	Margarethae	*raſtrum.* (*f*)
XII	f	14		
I	g	15	Omn. Apoſtol.	*duodecim ſtellae* (*g*)
	a	16		
IX	b	17		
	c	18		
XVII	d	19		
VI	e	20		
	f	21		
XIV	g	22	Magdalenae	*draco* (*h*).
III	a	23		
	b	24		
XI	c	25	Jacobi	*gladius.* (*i*) *vas.* (*k*)
XIX	d	26		
VIII	e	27	. . . (*l*)	
	f	28		
XVI	g	29	Olai Regis	*ſecuris Norvagica* (*m*) & *ſarculum.* (*n*)
	a	30		
	b	31		

Signorum Expoſitio.

(*a*) Feſtis B. V. communis.

(*b*) Primorum proventuum index.

(*c*) Heic in K. D. *clavis*, cujus ratio N. L.

(*d*) Inde hic menſis olim apud Anglo Saxones audiit *Medmonath.* V. HALTAUS.

(*e*) Forſan ſupplicii Regis martyris index. WORMIUS hic *ſpicam* invenit, quod tum uredo ſpicas infeſtet.

(*f*) Foeno verſando, colligendo.

(*g*) Reſpiciunt ad verba: „Splendebunt ſicut ſtellae &c.

(*h*) A dracone multum infeſtata & vexata ſcribitur, imo angeli ope ex ejus faucibus protracta.

(*i*) Decollatus enim.

(*k*) Forſan ad ſacras peregrinationes ſpectat, quas qui obeunt, ejuſmodi vaſa geſtare ſolent. In K. D. heic eſt *glans*, quam tum creari volunt.

(*l*) In K. D. *homo ſclopeto inſequens aves*, ſcil. a ſegete abigens.

(*m*) Hac e medio ſublatus. v. SAXO GRAMM. L. X. & JOH. MAGNUS L. XVII & XVIII.

(*n*) Ruſtici laboris index.

AUGUSTUS

N. A.	l.d.	d.	FESTA	SIGNA	Signorum expoſitio.
				ſol in virg. d. 12. ſol orit. h. 4½ occ. 7½ dies h. 9½ nox 14½ *	
XIII	c	1	Vincul. Petri	*clavis. catena.* (*a*) &	* Ita ſcil. per errorem inverſo ordine.
II	d	2		*compes* forſan.	
	e	3			
X	f	4	Ariſtarchi v.		(*a*) v. DOM. GEORGII *not. ad Adonem* h. d. Eas catenas hodieque Romae aſſervari dicunt.
	g	5	Dominici (*b*)		
XVIII	a	6			
VII	b	7			(*b*) In K. D. heic eſt *protome ejus.* Adjiciuntur *lepores*, venationis nota.
	c	8			
XV	d	9			
IV	e	10	Laurentii	*crates.* (*c*)	
	f	11			(*c*) Huic alligatus igne toſtus fertur.
XII	g	12			
I	a	13			
	b	14			(*d*) Triturando primo frumento.
IX	c	15	Aſſumt. B. V.	*corona*, *flagellum* (*d*), *occa.* (*e*)	
	d	16			(*e*) Laboris ruſtici nota.
XVII	e	17			
VI	f	18			(*f*) Hic tum matureſcit.
	g	19			
XIV	a	20			(*g*) Hoc excoriatus fertur, teſte ISIDORO. cf. tamen BARONIUS in *Martyrol.* In K. D. additur loco cultri *cervus*, qui tum exardeſcit.
III	b	21			
	c	22			
XI	d	23			
	e	24	Bartholomaei	*ramus lupuli*, (*f*) *culter.* (*g*)	(*h*) Notum ex S. S. ejus ſupplicium. In K. D. heic occurrit *caput Joh. B. in patena.*
XIX	f	25			
VIII	g	26			
	a	27			
XVI	b	28			
V	c	29	S. Joh. B. decoll.	*gladius.* (*h*)	
	d	30			
XIII	e	31			

SEPTEMBER

N. A.	l.d.	d.	FESTA	SIGNA
				ſol in libra d. 12. ſol orit. & occ. h. 6 dies & nox hor. 12.
II	f	1	Aegidii	*mitra*, (*a*) *forfex*. (*b*)
	g	2		
X	a	3		
	b	4		
XVIII	c	5		
VII	d	6		
	e	7		
XV	f	8	Nativ. B. V.	*corona*, *pirus*. (*c*)
IV	g	9		
	a	10		
XII	b	11	. . . (*d*)	
I	c	12		
	d	13		
IX	e	14	Exaltat. cruc.	*crux*, *ſella*. (*e*)
	f	15		
XVII	g	16		
VI	a	17	Lamberti	*ſecuris* (*f*) & *hircus*. (*g*)
	b	18		
XIV	c	19		
III	d	20		
	e	21	Matthaei (*h*)	
XI	f	22	Mauritii (*i*)	
XIX	g	23	. . . (*k*)	
VIII	a	24		
	b	25		
XVI	c	26		
V	d	27		
	e	28		
XIII	f	29	Michaëlis	*bilanx* (*l*) & *tuba*. (*m*)
	g	30		

Signorum expoſitio.

(*a*) Abbas fuiſſe fertur. In K. D. mitrae loco viſitur *pedum*.

(*b*) Tondendis ovibus.

(*c*) Notat maturas fruges. In K. D. eodem reſpicit *corbis frugibus referta*.

(*d*) In K. D. *Avis volans*, ob aucupium.

(*e*) Judicii publ. index. In K. D. id ſignum occurrit appoſitum diei 10.

(*f*) Caedendo ligno.

(*g*) Tum pruriens. WORMIUS *cervum* ejus loco locat, p. 116.

(*h*) In K. D. hic conſpicitur *angeli protome* ſive *hominis alati*. Ex *Ezech.* & *Apoc.* ſcil. Matthaeo aſſignatur homo ab HIERON. & IRENAEO, contra ab AUGUSTINO leo.

(*i*) In K. D. hic *ſcutum* eſt, quo Mauritius in militia uſus, in Thebaea ſcil. legione, quam ſub Diocletiano paſſam ſcribunt, & in cujus honorem olim celebrabatur *die Heermeſſe*. v. ADO. cf. HALTAUS.

(*k*) K. D. hic offert *globum dimidia parte opacum*, ſignando aequinoctio.

(*l*) Defunctorum actiones trutina examinare putatur; hinc frequenter cum bilance in coemeteriis pictus invenitur.

(*m*) Ad coeleſtem pugnam reſpicit. K. D. addit *raſtrum*, foeno chordo colligendo.

OCTOBER

N. A.	l.d.	d.	FESTA	SIGNA
				sol in scorpion. d. 12 sol orit. h. 7½ occ. 4½ dies hor. 9. n. h. 15
	a	1	Remigii Ep. (*a*)	
X	b	2		
	c	3		
XVIII	d	4	Francisci	*liber.* (*b*) *piscis.* (*c*)
VII	e	5		
	f	6		
XV	g	7	Brigittae	*monasterium* (*d*)
IV	a	8		
	b	9	Dionysii (*e*)	
XII	c	10		
I	d	11		
	e	12	. . . .	*fullonius pecten.* (*f*)
IX	f	13		
	g	14	Calixti Pap.	*arbor foliis fere spoliata.* (*g*) & *mitra* (*h*)
XVII	a	15		
VI	b	16	Galli (*i*)	
	c	17		
XIV	d	18	Lucae	*bos.* (*k*)
III	e	19		
	f	20		
XI	g	21	Ursulae	*sagitta.* (*l*) *vexillum.*
	a	22		
XIX	b	23		
VIII	c	24		
	d	25		
XVI	e	26		
V	f	27		
	g	28	Simon. & Judae	*flagellum.* (*m*) *crux.* (*n*) *hasta.* (*o*)
XIII	a	29		
II	b	30		
	c	31		

Signorum expositio.

(*a*) In K. D. *mitra*, honoris index.

(*b*) Forsan ad regulam ejus alludit.

(*c*) Piscationi jam indulgent. Huic duplici signo K. D. addit *vexillum*, sacrae ejus militiae designandae.

(*d*) Abbatissam fuisse ferunt. K. D. hic *protomen* ejus offert.

(*e*) K. D. hic *protomen* ej. habet. Addit & *piscem*, piscationi, maxime halecum capturae, tum operam navant.

(*f*) Lanis purgandis, carminandis.

(*g*) Forsan idem hoc signum est, quod in *Kal. Run. Lips.* h. d. comparet.

(*h*) Honoris nota.

(*i*) In K. D. hic *securis*, mactando pecori.

(*k*) Ex *Ezech.* & *Apoc.* ei tribuitur bos communi consensu ab IREN. HIERON. AUGUSTINO.

(*l*) Sagittis transfixae creduntur 11000 virgines, in quibus Ursula. v. SURIUS T. V. Eodem spectant in K. D. *stellae undecim.*

(*m*) Excutiendo tritico &c.

(*n*) In crucem actus fertur Simon. In K. D. crucis loco comparet *serra*; sunt enim, qui Simonem serra dissectum scribant, vulgo etiam serram manu gestans repraesentatur.

(*o*) N. L. Idem hoc signum & in K. D. extat.

NOVEMBER

N. A.	l.d.	d.	FESTA	SIGNA
				ſol in ſagittar. d. 11.
				ſol or. h. 8. occ. $3\frac{1}{2}$
				dies h. $7\frac{1}{2}$ nox h. $16\frac{1}{2}$
X	d	1	Omnium SS.	*ſtellae quam pluri-*
	e	2	Omn. anim. (*c*)	*mae* (*a*) & *navis in-*
XVIII	f	3	. . . (*d*)	*verſa.* (*b*)
VII	g	4		
	a	5		
XV	b	6	. . . (*e*)	
IV	c	7		
	d	8		
XII	e	9		
I	f	10		
	g	11	Martini Ep.	*anſer*, (*f*) *mitra.*
IX	a	12		
	b	13		
XVII	c	14		
VI	d	15		
	e	16		
XIV	f	17		
III	g	18		
	a	19	Eliſabethae	*templum* (*g*)
XI	b	20		
XIX	c	21	Apparitionis B.	
VIII	d	22	V. (*h*)	
	e	23	Clementis Pap.	*ancora*, (*i*) *arcus.* (*k*)
XVI	f	24		
V	g	25	Catharinae	. . . . (*l*)
	a	26		
XIII	b	27		
II	c	28		
	d	29		
X	e	30	Andreae	*crux.* (*m*)

Signorum expoſitio.

(*a*) Alludunt ad verba: „ Splendebunt inſtar ſtellarum.

(*b*) Ob finitam navigationem.

(*c*) K D. hic *crucem erectam* ſiſtit.

(*d*) In K. D. hic *ales*, aucupii ſignum. Aucupium alias pro autumno uſurpatum. v. HALTAUS p. 13.

(*e*) In K. D. *ſceptrum* h. die. Ratio N. L.

(*f*) Vulgo ferunt, anſeres Martinum, Epiſcopi honorem detrectantem, prodidiſſe. Alii anſeres tum optime ſaginatos indicari prohibent. v. HALTAUS. In K. D. additur *calix ovis refertus*, ni fallor. Ratio N. L. *Kal. Lipſ. cantharum* hic offert.

(*g*) Id templum viſitur & in nummo aureo, in hon. ej. cuſo, quem in muſeo ſervat amiciſſimus nobis SILBERMANNUS. Ejus antica exhibet S. Eliſabetham velatam, coronatam, cum epigraphe, litteris monacalibus expreſſa: ELISABETA. FILIA. ANDREE REGIS. UNGARIE. OBIIT. MARBURGI. AN. M. CC. XXXI. Poſtica offert templum cum inſcript. DISPERSIT. DEDIT. PAUPERIBUS. JUSTITIA. EJUS. MANET. IN. SECULA. SECULI.

(*h*) In K. D. *protome coronata* & *crux erecta*.

(*i*) v. quod nautis praeſit, v. quod ancora ad collum alligata ſit in mare praecipitatus, v. quod naves tum ancora retineat in portu.

(*k*) Venationis index.

(*l*) N. L. In K. D. adeſt rota, ſupplicii inſtrumentum.

(*m*) Nota ſupplicii. Fueritne ea crux decuſſata, dubitare licet. v. LIPS. *de cruce.* L. I. c. 7. Imo Maſſiliae oſtenditur erecta. cf. GRETSERUS *de cruce* L. I. c. 4.

DECEMBER

N. A.	l.d.	d.	FESTA	SIGNA
				sol in capric. die 10
				sol or. h. 9 occ. $2\frac{1}{2}$
				dies hor. 6. n. h. 18
	f	1	. . . .	*calopodia ferrata.* (*a*)
XVIII	g	2		
VII	a	3		
	b	4	Barbarae	*sacellum.*
XV	c	5		
IV	d	6	Nicolai Ep.	*pedum.* (*b*) *serpens*
	e	7		*caudam mordens.* (*c*)
XII	f	8	Concept. B. V.	*corona.*
I	g	9	Annae	*cantharus.* (*d*)
	a	10		
IX	b	11		
	c	12		
XVII	d	13	Luciae	*forfex & radius tex-*
VI	e	14		*torius.* (*e*)
	f	15		
XIV	g	16		
III	a	17		
	b	18		
XI	c	19		
	d	20		
XIX	e	21	Thomae	*manus digitum exse-*
VIII	f	22		*rens & tela duo.* (*f*)
	g	23		
XVI	a	24		
V	b	25	Nativ. Christi	*infans coron. & cer-*
	c	26	Stephani	*cornu* (*h*) (*nua* (*g*)
XIII	d	27	Johannis Ev.	*aquila,* (*i*) *cornu* (*k*)
II	e	28	Innocentium	*gladius, cornu.*
	f	29		
X	g	30		
	a	31		

Signorum expositio.

(*a*) Quibus tum per glaciem decurritur. In K. D. adest *traha*, ob nivis frequentiam.

(*b*) Ejus loco K. D. habet *mitram*.

(*c*) KAESTNERUS ex STROEMERO docet, id signum referri ad annum h. t. olim finitum & Kalendaria Runica ab h. d. incepta.

(*d*) Parandae in festa cerevisiae signum. WORMIUS putat alludi ad vernaculum *Kanne*.

(*e*) Forsan. Id si sit, ad labores textorios hiemales referre oportet. K. D. addit *facem accensam*, ad tormenta spectantem, quibus Lucia misere vexata. v. ADO. in *Martyr.*

(*f*) Forsan ob venationem. In K. D. hic comparet *globus*, solstitii index.

(*g*) Celebratur tum apud Danos & Suecos festum *Juel.* Id minus apte WORMIUS putat in hon. JULII CAES. dictum. Rectius BEDA a voce *Hjul*, rota v. redire. Assentit & IHRIUS in *Gloss.* quod solis conversionem jubilis tum exciperent veteres. Nec abludit SCHERZIUS nostras in *Gloss. Germ. MS.* etsi non prorsus rejiciat eorum opinionem, qui a Danico *julen* jucunde vivere trahunt. Verum potius id *julen* a festo *Jul* derivatur, ut IHRIUS docet. K. D. hic addit *tubam*, ad musicam coelestem referendam.

(*h*) K. D. adjicit *lapides*, supplicii indices.

(*i*) Ex sent. HIERON. & AUGUSTINI. Contra IRENAEUS ei leonem tribuit.

(*k*) Et in Germania olim poculis celebratum hoc tempus. Inde *der Johannes Trunk.* v. HALTAUS.

SUPELLEX SINENSIS ET TANGUTANA

FUMIGATORIA SINENSIA IN SACRIS ADHIBITA

Colendis idolis, quorum magnam vim Sinenſes & Japonenſes itemque Indi admittunt, inter alia odores adolent, in capſis ita menſae ſacrae impoſitos, ut KIRCHERUS (*a*) repraeſentat. Quaenam ſit eorum fumigatoriorum forma & ratio, ſpecimina quaedam noſtri muſei docent.

INSTRUMENTA SCRIPTORIA SINENSIUM

Circumfertur ubivis *atramentum*, quo Sinenſes utuntur, & in pictoriae artis uſum convertitur; ſat notum proinde. (*b*) Rarius eſt *penicillos* conſpicere, quibus chartae litteras illinunt. Eorum apud nos tres adſunt, ex arundine, tenuiſſimos pilos conſtringente, confecti. Longitudine decem fere pollices aequant impoſito operculo. In ſummo ſcriptura quaedam chartae rubrae impreſſa agglutinata conſpicitur, ſenſu nobis haud pervio. Doctum aliquem ſuo more penicillo ſcribentem repraeſentat KIRCHERUS (*c*) unde patet, ad perpendiculum teneri penicillum, non oblique, quod & DU HALDE (*d*) teſtatur.

(*a*) *Chinae Ill.* p. 131 & 145.

(*b*) Ejus conficiendi rationem multis docet DU HALDE in *Deſcript. de la Chine* T. II. p. 245 ſq.

(*c*) in *China Ill.* p. 233.

(*d*) T. cit. p. 249.

Chartam ſuam Sinenſes ex diverſarum arborum, in his Bambou, philyra ſeu interiori corticis pellicula conficiunt. Tenuiſſima vulgo eſt atque laeviſſima, nonnunquam mirae longitudinis. (*e*) Duo folia rubro colore tincta, in ſuprema regione argento, tribus locis impreſſo, ornata recondimus, pedes 3, pollices $9\frac{1}{2}$ longa, lata ped. 1. poll. 7. Adſunt & minora folia, epiſtolis ſcribundis aptata.

LIBER SINENSIS.

Inter theſauri noſtri cimelia porro *librum* ponimus *Sinenſem*, minoris folii forma, quatuor tomis conſtantem; titulum ille Sinicis characteribus hunc prae ſe fert: *Sanctae religionis preces. Primus tomus;* quem ordine reliqui inſequuntur. Jeſuitarum opus eſſe, ordinis ejus ſignum folio ſecundo impreſſum declarat. Minorem libellum ſimilem Bibliotheca Univerſitatis conſervat. Habet haec & nonnulla Tamulicae ſcripturae ſpecimina, cortici inſculptae.

TANGUTANI CODICIS FOLIUM

Quae per reliquas Europae provincias ante aliquot ſaecula jam propulſa eſt caliginoſa nox ignorantiae, ea ad hujus uſque ſaeculi initia vaſto Ruſſorum imperio incubuit. *Magni* demum PETRI opera atque incredibili fere induſtria bonarum artium ſtudia apud iſtos effloruerunt repente; adeo nullum fere eſt litterarum

(*e*) V. DU HALDE l. c. p. 239 ſq. Confici folia 50 pedes longa idem refert.

rarum genus, quod abhinc intactum reliquerint. Priſcos etiam majorum ſuorum ritus & mores rimari coeperunt & antiquos Aſiaticarum quoque gentium theſauros excutere. Prodiere ex hoc tempore aliquoties ex imis antiquae Scythiae, hodiernae Tatariae, viſceribus idolorum ſigna, principum ſtatuae, ſupellectilia. (*f*) Quin & codices nonnulli tum manu ſcripti, tum arte a Sinenſibus ad Tangutos Thibeti populos dudum transmiſſa impreſſi, in lucem protracti ſunt, quos, fere ut nuper in Herculaneo factum, milites quaſi carbones ab initio neglexere. Sunt tamen aliqua eorum ſpecimina ſervata.

Inter alios » DANIEL MESSERSCHMIDIUS, Medi-
» cam artem profeſſus, ex Siberia, quo a PETRO
» miſſus erat, redux, libellum oblongum attulit Pe-
» tropolin, quales ſunt plerique Tangutani, Munga-
» lici, Calmuccici libri, foliis octo ſolutis, charta Co-
» reana bombycinae haud diſſimili. Utraque cujuſvis
» folii pagina inſcripta (rectius impreſſa) eſt ita, ut,
» quo loco prioris paginae extrema eſt linea, iſthic ſi
» vertas, poſterioris ſit caput. Ortus hic mos ex eo,
» quod veteres ſingula folia palmarum, ut nunc quo-
» que fit, per duo foramina ſilo transjiciebant, ut uno
» in volumine continerentur. (*g*)

Occaſionem iſta folia dedere BAYERO, Academiae Petropol. decori, elementa litteraturae Brahmanicae, Tangutanae & Mungalicae exponendi (*h*), & Tangutanas

(*f*) v. *Mémoires de l'Academie des B. L.* T. V. & MONTFAUCON *Ant.* T. V. Suppl. Pl. LXIX ſq.

(*g*) Deſumta haec ſunt ex BAYERI Diſſ. mox citanda.

(*h*) Inſerta ſunt Tomo III & IV.

gutanas maxime litteras, diverſorum ante ſe opera evulgatas, examinandi. Foliorum ipſorum ſpecimen cito cum eruditis communicatum eſt. Juſſu enim *Auguſtiſſ. Ruſſorum Monarchae* JOH. DANIEL SCHUMACHERUS, Bibliothecae ejus praefectus, a. 1722 ad Academicos Pariſinos folium unum attulit, (*i*) & e Gallia redux Lipſiam quum veniſſet, aliud doctis viris coram monſtravit, quorum induſtria in aes inciſum in *Acta Eruditorum* (*k*) eſt illatum.

Tertio quodam folio laudatus SCHUMACHERUS amici SCHOEPFLINI librariam penum deinceps adauxit. Ejus initium adverſae paginae Tab. XVII. n. II. ſiſtimus. Forma noſtri prorſus cum ejus forma convenit, quod *Eruditi Lipſienſes* deſcribunt. Longum eſt pedes Pariſ. duos, poll. 1. lin. 3. latum poll. 7. lin. 11. Materia craſſa ad modum pergameni, ſed papyracea, rectius bombycina, coloris cinerei, ex more Orientalium laevigata; utrinque (hac re differunt) caeruleo colore tincta, ſed in medio nigricans, ubi ſcriptura extat alba flaveſcens.

Quid ſibi *fragmenta* haec *Tanguticae doctrinae* velint, quove tempore confecta ſint, doctioribus enucleandum relinquimus. Temere Tamerlanis aevo a nonnullis tribuuntur. Temere RUHLMANNUS veteri Magorum charactere exarata refert. (*l*) *Academici Pari-*

Actorum Academiae Petropolitanae annorum 1732 & 1735. Alphabetum Tangutanum etiam BAYERI induſtria expoſitum habes in ejus *epiſtola* ad J. BURCKH. MENCKENIUM, quam videre eſt excuſam in *Act. Erud. Lipſ. Suppl.* T. IX. p. 20 ſq.

(*i*) *Mém. de l'Acad. des B. L.* T. V. p. 5.

(*k*) Anni 1722. Tab. V. cf. p. 374 ſq.

(*l*) v. *Act. Lipſ.* l. c.

Parisini FRERETUM atque FOURMONTIOS ſtatim Thibetanam agnoviſſe linguam narrant, hos etiam oblatum ſibi folium interpretatos orationem funebrem detexiſſe, genium Orientis, metaphoras & figuras adamantis, redolentem. (*m*) Doleo, quod viris eruditis in mentem non venerit, eam expoſitionem commentariis ſuis inſerere. Eſtque id profecto eo dolendum magis, quod & BAYERUS, multarum Aſiae linguarum peritiſſimus, ultra explicatam alphabeti rationem non eſt progreſſus.

Ex iis tamen, quae & iſte nos docuit & ipſa folii noſtri inſpectio oſtendit, aliqua doctorum virorum peccata emendare liceat & nonnulla de litteris ſubjicere. Falſum itaque eſt, quod non nemo tradidit, Tangutanos a dextra ad ſiniſtram more Arabum ſcribere; nec rectius alius quiſpiam, eos a ſummo deorſum pergere; ſcribunt enim a ſiniſtra ad dextram, noſtro modo, ut & Brahmani & Aethiopes. (*n*) Minus adcurate porro in *Actis Lipſienſibus* (*o*) expreſſus eſt folii typus. Non enim ibi animadverſum erat, id latus, quod in imo eſt poſitum, anticam paginam, alterum, quod in ſummo, poſticam eſſe; hanc etiam perperam dedere inverſo modo. Neque mirati eſſent editores, » litteras ab uno » latere lineas tenuiores demittere, ab altero erigere » ſi perſpectum iis fuiſſet, ubi prioris paginae extrema eſt linea, ibi ſi vertas, poſterioris caput eſſe. Nos, quum non viſum fuerit, totum folium radio expreſſum dare, ita tamen repraeſentari curavimus, ut voluminis rationem ſe habere oſtendat & poſtica parte

 inver-

(*m*) l. c. p. 5. T. IX. p. 30 ſq.
(*n*) v. *Act. Erud. Lipſ. Suppl.* (*o*) A. 1722. l. c.

inverſas litteras offerre, quae vero verſo, ut diximus, folio & ipſae directae adſtant. Circuli, quorum alterius partem expreſſimus, ſingulis paginis duo extant; verum, quod illos utraque pagina paribus ſpatiis diſtare cum KRAUSIO praedicat BAYERUS (*p*), id perpetuum eſſe haud videtur; ſaltem nec in *Lipſienſi* exemplo, nec in noſtro ita ſibi reſpondent ambarum paginarum circuli, ut trajectum funiculum poſſent admittere.

Demum, rationem litterarum & ipſius libri quod ſpectat, a laeva adverſae paginae videtur titulus operis locatus & folii numerus. Ipſa dein antica, ut hic, ita ſemper, ab hoc ſigno incipit quod *Utſchùm* vocatur, & in poſtica nunquam comparet. Litterarum ſeries, lineis impoſitarum, nonniſi conſonantium eſt; quas BAYERUS (*q*) noſtro ordine; *Dictionnarium Encyclopaedicum*, (*r*) ordine Thibetanis trito, ſiſtit.

Vocales quatuor adſunt; *a* enim nunquam exprimitur, intelligendum ubicunque nulla reliquarum ſedem ſuam fixerit; harum ſequentes ſunt figurae: *e*, *i*, *o*, *u*; tres priores ſuperne, quarta inferius conſonanti adpingitur. Accedunt in ſcribendo ſigna duo, prius *yatac*, acuto accentui fere ſimile, quod certis litteris ſuppoſitum ſyllabae litteram *r* infert, poſterius *ratac* dictum, quod ex vocali *a* efficit *ia*, ex *e*, *ie* &c. Ita ſaltem in *Dictionn. Encyclop.* res exponitur. Verum errorem quen-

(*p*) in *Act. Lipſ. Erud. Suppl.* T. IX. p. 33.

(*q*) l. c. T. I.

(*r*) T. I. Pl. XXII. *des Alphabets* coll. p. 11.

quendam mihi hic ſubolere videor, permutata ſignorum nomina credo, & potius illud prius *ratac*, hoc poſterius *yatac* appellandum cenſeo, nomine ipſo ſic vim ſigni exprimente. Porro puncta adjecta docent, ubi vox quaelibet terminetur. Comma hoc eſt | &c.

Haec & alia, ex laudatis ſcriptoribus corraſa, forſan ad legenda haec Tangutana valere poſſunt, quod ſi ſit, ſequenti modo lineas aere excuſas licebit exprimere:

xeſa pa gnütaa kiataa atòpaa para mi akiura &c. &c.
paatutaa ſika too tſchana kiiſa piataa tſchùpaa ſemaſa taapaa ſemaſa &c. &c.
paana metaa pa yataa taaka para r'tokaſa paai piataa tſchùpra ngu atſchuka &c. &c.

Acu ne rem tetigerim, alii viderint. Quis autem ſit horum verborum ſenſus, nemo ſane nos docere poterit, niſi cui lexicon aliquod opus adhibere in ſubſidium contingat. Id, quo uſus olim FOURMONTIUS, Tangutana non Italicis, ut in *Dict. Encyclop.* per errorem (*s*) dicitur, ſed latinis reddit vel potius Latina Tangutanis, quod ex litteris, a *Viro Doctiſſimo* Arabica in Collegio Regio profitente, DESHAUTESRAIES, nuper ad me datis, intellexi. Manifeſtum fit inde, in uſum alicujus Chriſtianae fidei doctoris, qui Thibetanam linguam condiſcere parabat, confectum opuſculum eſſe. Recteque proinde ſtatuit *Vir laudatus*, in commo-

(*s*) Error is inde ortus, quod praefamen vocabulario praemiſſum Italica lingua concinnatum eſt.

commodum noſtrum cedere ſi debeat hoc lexicon, invertendum prius ſic eſſe ordinem, ut Tangutanis, ſecundum litterarum ſeriem poſitis, Latina reſpondeant.

Dabit, ſpero, *Vir humaniſſimus*, modo memoratus, ad quem FOURMONTII hic theſaurus manu exaratus hereditatis jure pervenit, dabit, inquam, hoc precibus noſtris, ut & *Lexicon* id ſive *vocabularium Thibetanum* & a FOURMONTIO *confectam Thibetani folii interpretationem* edat. Accidet id linguarum cultoribus eo gratius acceptiuſque, quod, hac luce in has tenebras ſparſa, facile deinceps erit praeter hoc noſtrum folium, illud etiam, quod *Lipſienſibus actis* eſt inſertum, & ſi qua forſan alia, ut exiſtimo, Petropoli ſervantur adhucdum, exponere.

EMENDANDA

p. 4. l. 8. lege pontium
8. - 23. - *Mercurio*
12. - 14. - permiſiſſe
40. - 14. - ſupellectile
45. - 16. - *nikbhàr*
109. - 20. - LIC
111. - 13. - XICPF
122. - 7. - occludebantur
125. - 14. } pendit
126. - 6 & 21 }

p. 133. Nummi ſic recenſendi:
SEVERVS &c.
VICT &c.
ANTONINVS &c.
IVNO &c.
IVLIA &c.
FELICITAS &c.
p. 159. l. 19. lege ſtatim
p. 160. . 10. - quae

ADDENDA

p. 59. l. 16. ad v. calicem repraeſentent, adde, ut in *fronte vaſarii* videre licet.

p. 112. l. pen. poſt offerimus, adde: Quae inter utramque comparet, lacrymis quaſi eſt obſita.



